




PRAGER STUDIEN

AUS DEM GEBIETE DER

CLASSISCHEN

ALTERTHUMSWISSENSCHAFT

HERAUSGEGEBEN

MIT UNTERSTÜTZUNG DES K. K. MINISTERIUMS
FÜR CULTUS UND UNTERRICHT

HEFT I

IOANNES IÖHRING

DE PARTICULARUM UT NE QUIN QUO MINUS

APUD

L. ANNAEUM SENECAM PHILOSOPHUM

VI ATQUE USU

PRAG 1894
H. DOMINICUS VERLAG
(TH. GRUSS)

IOANNES IÖHRING

DE PARTICULARUM
UT NE QUIN QUO MINUS
APUD
L. ANNAEUM SENECAM PHILOSOPHUM
VI ATQUE USU

Vorgelegt von Prof. Dr OTTO KELLER

PRAG 1894
H. DOMINICUS VERLAG
(TH. GRUSS)

An Stelle der bisher von Prof. Dr. Otto Keller veröffentlichen ‚Prager philologischen Studien' beginnt mit dem vorliegenden Hefte ein neues erweitertes Unternehmen, welches durch dankenswerte Förderung des k. k. Ministeriums für Cultus und Unterricht möglich geworden ist. Die Herausgabe besorgt eine Commission, welcher die Professoren der Alterthumswissenschaft an der Prager deutschen Universität angehören.

Unmittelbar folgen:

Abhandlung II. Gerundii et gerundivi apud Plautum et Cyprianum usum comparavit *R. Herkenrath*. Vorgelegt von Prof. O. Keller.

Abhandlung III. *J. Stiglmayr*: Eine alte Regensburger Handschrift des sogenannten Homerus latinus. Vorgelegt von Prof. A. Rzach.

Abhandlung IV. Dr. *E. Holzner*: Plato's Phaedrus und die Sophistenrede des Isokrates. Vorgelegt von Prof. A. Rzach.



Quae scriptoribus argenteae, quam vocant, latinitatis consuetudo fuerit dicendi, ab hominibus doctis non parum est inquisitum. Neque defuerunt, qui de Senecae quoque philosophi proprietatibus sermonis latini nos docuerint. Ut breviter referam, quid de eius genere dicendi cognoverimus, Boehmer [1]) quidem commentariolo aliquo (Programm) id solum intendit, ut philosophum, cuius est laudator eximius, ‚non paulum ad minuendam sermonis latini egestatem contulisse numero novorum aut nove compositorum vocabulorum aucto' ostendat. Opitzius [2]) quoque prima libelli parte de usu vocabulorum agit et id quidem praeclare atque multa, quae a Seneca primum usurpata Boehmer censet, apud alios scriptores docet inveniri. Praeterea ad usum casuum cognoscendum plurima affert. Brevius autem usum modorum, septem lineis usum coniunctionum ut, quo minus, quin exponit. Iam ex iis, quibus explicatio particularum peculiari curae erat, commemorandi sunt Klammer [3]), qui particulas et, que, ac, atque diligenter perquisivit, et Naegler [4]), qui de particulis interrogativis et concessivis ‚dissertationem philologicam,' quae magna laude digna videtur, edidit neque vero in altero de particulis comparativis libello eandem curam

[1]) De L. Annaei Senecae Latinitate. Oels 1840.

[2]) De latinitate Senecae. Naumburg 1871.

[3]) Animadversiones Annaeanae grammaticae. Bonnae 1878.

[4]) De particularum usu apud L. Annaeum Senecam philosophum. Pars I.: De particulis concessivis et interrogativis. Halis Saxonum 1873. Pars II.: Particulae comparativae. 1880.

adhibuit. Atque omissis parvulis quibusdam commentationibus et explicationibus de iis, qui de latinitate Senecae scripserunt, satis dictum esse existimo. Cum igitur nemo, quod sciam, de ut, ne, quo minus, quin particulis integris accuratius planiusque dixerit, qui illarum particularum apud Senecam sit usus, perscribam. Neque vero ignorans verum de scriptore iudicium non posse me facere, nisi omnia eius scripta legissem, ex Senecae philosophi libris oratione soluta scriptis, qui exstant, enuntiata omnia, in quibus illae particulae inveniuntur, collegi collectaque examinavi. Sed ne ponam superflua, omnes, quos de vario particulae usu locos scripsi, neque proferam neque nominabo, nisi exempla sint pauciora et de proprietatibus dicendi agatur Annaeanis. Hanc vero operam dabo, ut exempla afferam diversa et exquisita. In locis afferendis, ut hoc addam, ab editione Haasiana, quam in universum sequor, compluries putavi mihi esse discedendum.

Quibus rebus expositis de singulis particulis dicere aggredior.

Cap. I.

De particula ut.

Ut aliqua de huius particulae formis, quae in usu erant, praemittam, in inscriptionibus antiquissimis saepe praeter formam ut ‚utei‘ et ‚uti‘ inveniuntur. In corpore enim Inscr. Latt. I., quae pars monumenta usque ad aetatem Caesaris facta continet, sexies et centies utei, undecies uti, decies ut scriptum esse videmus. In codicibus autem tum aliorum scriptorum, tum Senecae forma ut longe usitatissima est, licet forma uti non raro sit usurpata.

Iam quidquid est de principali et quasi nativa particulae significatione, quam ‚locativam‘ vel ‚instrumentalem‘ fuisse iudico, haec in linguae excultae monumentis, quae exstant, evanuit fere sublataque est et significatio ‚modalis‘ tum interrogativa, tum relativa in antiquissimis

litteris omnino valuit atque viguit. cf. Dahl[1]) p. 4, p. 35. Bréal[2]) 414.

Quam significationem modalem aliis particulae significationibus derivatis subesse in iisque quasi latere, haud difficulter puto intellegi. Ac primum quidem facile cognoscitur, ut ‚modale' et ut ‚temporale' nexu quodam naturali atque necessario cohaerere, quoniam ex uno statu sive condicione rem mutari in aliam exprimi nequit, nisi mutatio temporis significatur. ‚Quod ut nuntiatum est, accurrit': ‚Wie,' ‚als' es verkündet wurde, lief er herbei.

In consecutivis vero, concessivis, finalibus enuntiatis ad modalem significationem, quae includitur, nova ratio aut consecutionis et effectus aut concessionis aut consilii sive finis additur, ad quam efferendam modum coniunctivum Romani adhibuerunt.

Satis hoc loco de significatione particulae dixi. Sequitur, ut usum apud Senecam frequentissimum accuratius exponam. In sex vero partes omnem de hac re quaestionem dividam atque de ut modali, temporali, consecutivo, concessivo, finali, de ut coniunctione, quae in enuntiatis loco substantivi alicuius positis usurpatur, deinceps agam.

§ 1.

De ut modali.

In hac commentationis parte ea enuntiata collocabo, in quibus particula ut ‚adverbium modi' interpretandum videtur, quod Germanica lingua ‚wie' convertere consuevimus.

1. Ac primum ut particula apud Senecam in sententiis indirecte interrogativis usurpatur:

‚Non vides, ut omnium animalium, simul ad nocendum insurrexerunt, praecurrant notae.' Ir. I. 1, 5. ‚Non vides,

[1]) B. Dahl. Die lat. Partikel ut. Kristiania 1882. cf. Zeitschrift für österr. Gymn. XXXIV. p. 678.

[2]) Bréal M. et Bailly A. Dictionnaire étymol. latin. 2 Edit. Paris 1886.

ut fluctus in litora tamquam exiturus incurrat.' N. Q. III. 30, 2.

Naegler (de partic. comp. 1.) quattuor alia enuntiata addit, quibus coniunctivum voluntatis contineri existimo. Sunt autem haec: ,hoc cotidie meditare, ut possis aequo animo vitam relinquere.' Ep. 4, 5. In hac sententia, quo modo vitam relinquendam Seneca censeat, verbis ,aequo animo' significatur. Contextum autem mihi consideranti id concludendum videtur, verbis ,hoc meditare' philosophum idem exprimere ac si dixerit: hoc meditando age, ut. cf. Cic. Tusc. II. 65.: ,Atque in primis meditemur illud, ut haec patientia dolorum, quam saepe iam animi intentione dixi esse firmandam, in omni genere se aequabilem praebeat.' cf. Cat. m. 74. cf. Sen. N. Q. VI. 32, 12: ,Omnibus omissis hoc unum, Lucili, meditare, ne mortis nomen reformides.'

Secundo Naegler affert Ep. 16, 5: ,haec docebit, ut deum sequaris.' Cuius sententiae ut sensus recte diiudicetur, quae verba praecedant et subsequantur, animadvertendum est. Ita autem scriptum legimus: ,Haec (philosophia) adhortabitur, ut deo libenter pareamus, fortunae contumaciter; haec docebit, ut deum sequaris, feras casum.' Nescio an concinnitate orationis adeoque ipso sensu omnino postuletur, ut sicut priorem sententiam ita posteriorem significatione finali intellegendam esse dicamus. Equidem Germanice vertam: die Philosophie wird dich lehren, dass du der Gottheit folgen sollst, i. e. der Gottheit zu folgen. cf. Cic. Leg. I. 58: ,Haec enim una (sc. philosophia) nos cum ceteras res omnes, tum, quod est difficillimum, docuit, ut nosmet ipsos nosceremus.' De or. II. 204: ,Docuit enim iam nos longa vita ususque rerum maximarum, ut, quibus rebus animi hominum moverentur, teneremus.'

2. Deinde in exclamatione ut usurpatum inveni Ben. II. 13, 1: ut a te nihil accipere iuvat! ut omne beneficium in iniuriam convertis! ut te omnia nimia delectant! ut te omnia dedecent! cf. Cic. fin. V. 61 aliisque locis.

3. Relativa particulae vis tricies semel apud Senecam ita usurpatur, ut praedicatum enuntiationis principalis ea definitione seu terminatione accipiendum esse significet, quae praedicato enuntiationis secundariae exprimatur. In contractis quoque seu breviatis enuntiationibus particulae ut significationem relativam subesse concedendum est. Adverbium autem correlativum in primaria sententia positum semel inveni: ‚vive ergo, ut convenit.' Marc. 18, 8 — ‚discamus membris nostris inniti, cultum victumque non ad nova exempla componere, sed ut maiorum mores suadent.' Tr. an. 9, 2. ‚Repete memoria tecum, quando certus consilii fueris, quotus quisque dies, ut destinaveras, recesserit.' Brev. v. 3, 3. — Ben. II. 32, 2. Epp. 4, 1. 70, 21. 92, 11. ‚persuade tibi hoc sic esse, ut scribo.' Ep. 1, 1. (adverbium correl.) — ‚Praeterea (Nilus) ex mari purus et caeruleus efflueret,non, ut nunc, turbidus veniret.' N. Q. IV. 2, 23. — Ep. 90, 34. (enuntiata contracta.)

Tr. an. I. 11 legitur: ‚ubi aliquid occurrit indignum, ut in omni vita humana multa sunt,' in qua sententia constructione quamdicunt personali particula ut cum verbo ‚esse' coniungitur, id quod rarissimum nec facile imitandum est. Ceteroqui cf. Cic. fam. XVI. 12, 4. De or. I. 179.

4. Denique frequentissime Seneca particula ut in enuntiationibus quae dicuntur parentheticis usus est, quas principali sententiae ita inserit vel adiungit, ut eius constructioni non subiciantur neque ipsa verborum conformationem mutent. Scriptor autem tamquam extrinsecus aliquid adicit, ut, quod sententia primaria aut tota aut verbo aliquo exprimatur, cum sua ipsius vel alterius opinione, dictis, consuetudine congruere ostendat. Huiusmodi enuntiationes ab ipso Cicerone aliisque aureae latinitatis scriptoribus saepe orationi insertas esse nemo est qui ignoret. Nihilominus Seneca eas tam frequenter formisque tam variis usurpavit, ut hanc consuetudinem dicendi aliquam eius proprietatem nominare non dubitem.

In tres autem partes, prout Seneca aut verbo putandi vel cognoscendi aut verbo dicendi aut eo verbo usus est, quod consuetudinem et aliquid simile significet, illa enuntiata dividere diversarumque formularum singula exempla afferre vel nominare liceat.

A) Verbum cognoscendi inseruit: ut vulgo creditur: ‚nostrum — hoc bonum est, quemadmodum iustitia non est, ut vulgo creditur, ad alios pertinens‘. Ep. 81, 19. — ut existimo: ‚satis, ut existimo, hanc partem tractavimus‘. Ben. V. 7, 1 — ut ego existimo: ‚perveniunt deinde eo quo, ut ego existimo, pessimus quisque atque ingratissimus pervenit, ut obliviscantur‘. Ben. III. 5, 2 — ut existimas: ‚ne nunc quidem tempus, ut existimas, perdo‘. Ep. 65, 16 — ut existimant homines: Ep. 118, 6 — ut plerique existimant: Vit. b. 26, 7 — ut opinor: Ir. II. 18, 1 — ut puto: N. Q. I. 11, 3 — ut putamus: ‚Non habet, ut putamus, fortuna longas manus‘. Ep. 82, 5 — ut putatis: Marc. 26, 3. ut putant: N. Q. VII. 9, 1 — ut quidam putant: Ep. 89, 16 — ut mea fert opinio: ‚De verbo, ut mea fert opinio, controversia est, de re quidem convenit‘. Cl. II. 7, 4 — ut placet Chrysippo: ‚Servus, ut placet Chrysippo, perpetuus mercennarius est‘. Ben. III. 22, 1 — ut quibusdam placet: Ep. 75, 8 — ut Posidonio videtur: Ep. 90, 30 — ut quibusdam videtur: N. Q. V. 9, 5 — ut nostris videtur: Ep. 66, 5 — ut vobis videtur: Ep. 85, 26 — ut Graecis visum est: ‚In hac sententia licet ponas Aristotelem et discipulum eius Theophrastum, non, ut Graecis visum est, divini, tamen et dulcis eloquii virum et nitidi sine labore‘. N. Q. VI. 13, 1 — ut quibusdam visum est: ‚nec, ut quibusdam visum est, arduum in virtutes et asperum iter est‘. Ir. II. 13, 1 — ut visum est maioribus nostris: ‚nam ut visum est maioribus nostris, sera parsimonia in fundo est; non enim tantum minimum in imo, sed pessimum remanet‘. Ep. I. 5 — ut scis: ‚Unam, ut scis, Aegyptus in hoc spem habet suam‘. N. Q. IV. 2, 2.

B) Atque saepissime verbum dicendi inseruit: ut

ait (nomine proprio addito vel non addito): ‚Quibusdam, ut ait Sextius, iratis profuit aspexisse speculum.' Ir. II. 36, 1 — ut alius poeta ait: N. Q. IV. 3, 4 – ut ait Nero Caesar disertissime: N. Q. I. 5, 6 — ut ait ille poetarum ingeniosissimus egregie: N. Q. III. 27, 13 — ut ait ille tragicus: ‚nam, ut ait ille tragicus, veritatis simplex oratio est'. Ep. 49, 12 — ut dicis: Ben. V. 18, 1 — ut dicimus: Ben. V. 15, 1 — ut dicitis: Ep. 92, 23 — ut dicitis Stoici: Ben. V. 12, 3 — ut vos dicitis: Ep. 121, 7 — ut dicebam: Ben. III. 17, 3 — ut paulo ante dicebam: ‚si speciosa contemnimus, ut paulo ante dicebam, nulla res nos avocabit, nullus hominum aviumque concentus interrumpet cogitationes bonas solidasque iam et certas'. Ep. 56, 11 — ut dicebat Cleanthes: Ep. 108, 10 — ut illi paulo ante dicebant: N. Q. VI. 14, 2 — ut dixi: Tr. an. 17, 7 – ut in prioribus libris dixi: Ir. III. 3, 1 — ut diximus: ‚est enim, ut diximus, nubes spissitudo aeris crassi'. N. Q. II. 30, 4 — ut antiqui dixerunt: Ep. 87, 39 — ut coeperam dicere: Ep. 82, 13 — ut Theophrastus adfirmat: N. Q. III. 16, 5 – ut ille adfirmabat: Brev. v. 13, 8 — ut isti delicati loquuntur: ‚an tu existimas quemquam soluto vultu et, ut isti delicati loquuntur, hilariculo mortem contemnere'. Ep. 23, 4 — ut paulo ante rettuli: N. Q. VI. 23, 2 — ut scribis: Ep. III. 1 — ut traditur: N. Q. VI. 17, 3 — ut fama tradidit: Brev. v. 13, 6 — ut Posidonius tradidit: N. Q. II. 26, 4 — ut apud te, iuvenis carissime, invenio: N. Q. III. 1, 1 – ut isti vocant: Vit. b. 11, 4 — ut antiqui vocabant: Ep. 88, 20.

C) Verbum quoque inseruit, quo consuetudo vel aliquid simile exprimatur: ut solet: ‚autumni verisque, ut solet, facta mutatio est'. N. Q. III. 16, 3 — ut soles: Const. sap. 7, 1 — ut Scythae solent: Ep. 124, 22 — ut dici solet: Ep. 58, 25 — ut dicere solebat Attalus noster: Ep. 63, 5 — uti mortalibus mos est: Ben. III. 3, 2 — ut mos fuit priscis: ‚exercebat

enim opere se terramque, ut mos fuit priscis, ipse subigebat (Scipio)': Ep. 86, 5 — ut homines sapientissimos decet: N. Q. IV. 7, 1 — ut necesse est: Helv. 15, 2 — ut est melius: Ben. VII. 9, 2 — ut institui: Ep. 8, 7. —

5. Praeterea ut particula frequenti varioque usu ad res illustrandas orationemque exornandam a Seneca adhibetur. (Ut comparativum.)

A) Et saepe quidem scriptor ex rerum natura vel vita hominum aliquid affert, quocum id, quod describere studet, aliquam prae se fert similitudinem. Quae dicendi consuetudo ad vigorem splendoremque sermonis multum confert et idonea est, quae puerorum animos suaviter instruat atque excolat.

a) In sententia autem principali aut nullum adverbium aut ita, sic respondent.

b) Atque enuntiatio comparativa plerumque ante sententiam primariam posita est, contraria positio octies invenitur.

c) Praeterea id addo comparationem aut tota sententia aut uno alterove verbo esse expressam neque, quod Müller [1]) de usu Pliniano § 41 nos doceat: „Unvollständige Komparativsätze finden sich nicht häufig", id de usu Annaeano dici posse, cum certe quadraginta octo eiusmodi sententiae enumerentur. Exempla omnia collecta invenies apud Naeglerum p. 1 ss., ex quibus pauca, quae commemoratione dignissima videntur, afferam.

ad *a)* ,Ut in corporum cura alia de tuenda valetudine, alia de restituenda praecepta sunt, ita aliter iram debemus repellere, aliter compescere'. Ir. II. 18, 1. cf. Const. sap. 4, 2. 14, 4. Ir. I. 1, 3. 7, 4. Ir. II. 26, 6. 31, 7. Ir. III. 5, 8. Ir. III. 8, 1. 9, 5. Vit. b. 14, 2. 15, 5. Tr. an. 3, 1. 4, 7. Ben. IV. 20, 3. Ep. 40, 6. ,Ut fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu, sic animadversiones magnarum potestatum terrent latius quam nocent'. Cl. I. 8, 5.

---

[1]) J. Müller. Der Stil des ält. Plinius. Innsbruck 1883.

ad *b)* ,concitatior est avaritia in magnarum opum congestu conlocata, ut flammae infinito acrior vis est, quo ex maiore incendio emicuit.' Ben. II. 27, 3. cf. N. Q. II. 26, 2. Ep. 114, 24.

ad *c*) ,sic illum (sapientem) adficiunt divitiae et exhilarant, ut navigantem secundus et ferens ventus, ut dies bonus et in bruma ac frigore apricus locus.' Vit. b. 22, 3. — ,Sed ut libertatis, ita vini salubris moderatio est.' Tr. an. 17, 9 — ,itaque, ut in hostili regione versantibus, huc et illuc circumspiciendum est et ad omnem strepitum circumagenda cervix' Ep. 74, 3 — ,illa, quicquid eiusmodi est (contumelias), transcurrit ut vanas species somniorum visusque nocturnos nihil habentis solidi atque veri.' Const. s. 11, 1 — ,horum contumelias sapiens ut iocos accipit.' 13, 3 — ,iniurias ut vulnera sustineat.' 19, 3. ,Utendum illa (ira) est non ut duce, sed ut milite.' Ir. I. 9, 2 — ,ira, etiamsi aliquando ut venenum — profuit, non ideo salutaris iudicanda est.' 12, 6 — ,si hoc placet ad beatam vitam ire comitatu, virtus antecedat, comitetur voluptas et circa corpus ut umbra versetur. Vit. b. 13, 5 - ,pars tamen maior ut maligno ostio retenta restagnat et agros in formam unius lacus redigit.' N. Q. III. 27, 10 — ,necesse est auctorem huius boni securitatis ut parentem colant.' Ep. 73, 2.

B) Particulis vero ut — ita (sic) Seneca duas res vel sententias in aequo ponit atque eodem quasi loco et numero habendas esse significat, id quod lingua Germanica ita exprimere solemus, ut dicamus: so — wie, sowohl — als auch, nicht nur — sondern auch.

,Tota illorum (animalium) ut extra ita intra forma humanae dissimilis est.' Ir. I. 3, 7 — ,ut huius humanitatem inhumanitatemque neglegit, ita et regis.' Const. s. 13, 4 — ,ut servire non possunt, ita nec imperare.' Ir. II. 15, 4. ,Sequitur nos ut in aliis rebus, ita in hac quoque hoc vitium ad plurium exempla componi nec quid oporteat, sed quid soleat, adspicere.' Ep. 99, 17 — ,illo verbo utebantur antiqui correpto, quo nos producta una syllaba

utimur; dicimus enim ut splendere sic fulgere." N. Q. II. 56, 2.

C) Septies Seneca ut — ita particulas ad res contrarias significandas adhibuit (Zwar — aber, einerseits — andererseits). Imprimis scriptoribus argenteae latinitatis hic dicendi modus est usitatus. Draeger [1]) S. T. § 173 de usu Taciteo et Liviano. Quint. inst. V. 14, 27. X. 1, 72. IX. 2, 88 a. l.

Exempla Annaeana: ‚quae (ira) ut aliquando propulit stravitque obvia, ita saepius sibi exitio est.' Ir. I. 11, 2 — ‚ut non puto concupiscendam, ita ne recusandam quidem (senectutem).' Ep. 58, 32 — ‚Nucerinorum colonia ut sine clade, ita non sine querela est.' N. Q. VI. 1, 2.

Ut — sic particulae eodem sensu interdum a Tacito et Livio usurpatae (Draeg. l. c.) apud Senecam non inveniuntur. Apud Ciceronem autem eiusque aequales illas particulas ad idem exprimendum adhiberi recte Dahl p. 50 exponit.

D) Verborum vero conformationem ‚ut quisque — ita' ad proportionem quam dicimus significandam rarissime apud Senecam inveni: ‚u quisque contemptissimus et ludibrium est, ita solutissimae linguae est.' Const. s. 11, 3. cf. N. Q. III. 29, 7: ‚ut quaeque proxima terris fluentibus fuerint, eluentur.' — N. Q. III. 18. 5: ‚ut quisque peritior est, monstrat.' [2])

E) Saepe profecto Seneca particulam ut adhibet aut ad exemplum afferendum, quo res apertior probabiliorque fiat aut ad res, quae notione aliqua universa continentur vel omnes vel earum partem significandas. Et exempla quidem quater integra sententia, cetera uno verbo continentur: ‚quaedam vero partes maris id certis temporibus faciunt, ut circa Messanam et Mylas fimo quiddam simile turbulentis aquis mare profert.' N. Q. III. 26, 7 —

---

[1]) Draeger. Syntax u. Stil des Tacitus. 3. A. Leipzig 1882.

[2]) Multa illius formulae dicendi exempla ex scriptis Ciceronis aliorumque auctorum collecta Dahl (pag. 56—64) optime disposuit. De usu Taciteo v. Draeg. § 108.

‚ut accusatore submisso‘: wenn man z. B. Ankläger heimlich gegen uns aufstellt. Const. s. 9, 2. — ‚Est aliquid, quod dominus praestare servo debeat, ut cibaria, ut vestiarium.‘ Ben. III. 21, 2.

F) Ut particula apud Senecam causae quoque rationem exprimi recte affirmatur. Immerito autem Anton [1]) p. 28 significationem particulae causalem iis enuntiatis definire videtur, in quibus ‚ut est‘ cum adiectivo vel substantivo coniunctum inveniatur, cuius quidem generis enuntiationes apud Senecam non exstant. (Cic. Verr. II. 1, 26, 65: magnifice et ornate, ut erat in primis inter suos copiosus, convivium apparat). De ut causali cf. Ant. l. c., Dahl, pag. 117.

Apud Senecam legitur: ‚nihil nobis mali, antequam eveniat, proponimus, sed ut immunes ipsi (weil selbst frei) et aliis pacatius ingressi iter alienis non admonemur casibus illo esse communes.‘ Marc. 9, 1. ‚ut varia et libidinosa mancipiorumque suorum neglegens domina et poenis et muneribus errabit (sc. fortuna).‘ 10, 6 — ‚fieret ingens inundatio, ut ex infinito liquore et ferente universa.‘ N. Q. VI. 6, 4 — ‚mira ut ex toto vis est: quamvis enim ex parte saeviat, mundi tamen viribus saevit‘ N. Q. VI. 30, 2. cf. Cl. I. 13, 1. II. 2, 2. II. 6, 2. Ben. III. 2, 3. 10, 2. N. Q. III. 29, 1. Ep. 98, 13.

Hoc loco referendum est Senecam ad causam exprimendam decies ut qui cum coniunctivo usurpasse, qui dicendi modus numquam apud scriptores aureae latinitatis, apud Livium, Tacitum saepe invenitur. cf. Ant. p. 69., Draeg. S. T. § 155, Kühnast [2]) p. 236.

Semel in aliquibus magnae auctoritatis codicibus ut qui cum indicativo iunctum legimus: ‚Sunt omnia, ut dixi, facilia naturae, ut quae a primo facere constituit, ad quae non subito, sed ex denuntiato venit.‘ N. Q. III. 30, 1. Quae verba integra a Fickerto et Haasio recepta

---

[1]) **Anton H. S. Studien. II. Erfurt 1873.**

[2]) **Kühnast. Die Hauptpunkte der Livian. Syntax. Berlin. 1872.**

sunt. Sed illa constructio, ad quam confirmandam ex aliis scriptoribus nullus locus certus afferri potest, omnino dubia dicenda est. cf. Ant. p. 277 ss. Kühnast 236, Draeg. S. T. § 155. Cum nonnullis codicibus et editionibus scribere malim: utique quae — alles ist der Natur leicht, jedenfalls dasjenige, was dieselbe von Anfang an auszuführen bestimmt hat. cf. N. Q. III. 27, 2: ‚nihil difficile naturae est, utique ubi in finem suum properat.'

His expositis afferam enuntiata, in quibus ut qui cum coniunctivo invenitur: ‚Magis autem indiget vita, qui vivit, quam qui natus non est, ut qui ne indigere quidem omnino possit.'Ben. III. 35, 3. — ‚Placido tranquilloque regi fida sunt auxilia sua, ut quibus ad communem salutem utatur.' Cl. I. 13, 1. ‚Quid, quod aquae quoque inutiles pestilentesque in abdito latent, ut quas numquam usus exerceat.' N. Q. VI. 27, 3. cf. Ir. I. 11, 3. Vit. b. 4, 4. 12, 2. 23, 5. Lud. 5, 3. Cl. I. 13, 2. II. 5, 3.

Neque sensu ‚restrictivo' (cf. Cic. Cat. m. 12: multae in Fabio, ut in homine Romano, litterae) neque sensu ‚iurativo' (cf. Cic. Att. V. 15, 2: ita vivam, ut maximos sumptus facio) Seneca particulam ut usurpavit.

§ 2.

De ut temporali.

Ut et ut primum ad tempus significandum (sobald als) apud Senecam non invenitur nisi coniunctum cum perfecto indicativi[1]).

A) ut:

‚ut satis illum (Harpagum) plenum malis suis vidit, adferri capita illorum iussit.' Ir. III, 15, 1. — ‚In Macedonia quoque, ut ait Theophrastus, amnis est, ad quem, qui facere oves albas voluerint, adducunt, quem ut diutius potavere non aliter quam infectae mutantur.' N.

---

[1]) cf. O. Waldaestel. De enunt. temp. struct. apud L. Annaeum Senecam. Halis S. 1888.

Q. III. 25, 4. ‚In quo igne (sc. cometa) multa quidem fuere digna, quae notarentur, nihil tamen magis, quam quod, ut ille fulsit in caelo, statim supra Burin et Helicen mare fuit.' N. Q. VIII. 5, 4. cf. Marc. 1, 3. 13, 2. Ben. III. 23, 2. IV. 37, 1. Ep. 53, 3.

B) ut primum:

‚Ut primum diluxit, servus, qui cenanti ad pedes steterat, narrat, quae inter cenam ebrius dixisset.' Ben. III. 27, 1. — ‚Ut primum stomachum, quem scis cum mari nausiam effugere, collegi, ut corpus unctione recreavi, hoc coepi mecum cogitare, quanta nos vitiorum nostrorum sequeretur oblivio.' Ep. 53, 5. cf. Marc. 3, 2. Ep. 77, 14.

§ 3.

De ut consecutivo.

Enuntiatis consecutivis praemissa coniunctione ut scriptores id exprimere, quod posita sententia primaria sequatur vel efficiatur, omnes grammatici consentiunt. Atque eiusmodi enuntiationibus aliqua sententiae primariae determinatio adverbialis videtur contineri. Der Nebensatz (mit dem ut consecutivum) schließt sich an den Hauptsatz ‚als eine adverbiale Bestimmung' an. cf. Dahl, p. 231. ‚Es ist die objective Folge des Hauptsatzes in seiner Gesammtheit, welche hier zur Darstellung kommt.“ (p. 164.)

A) Ac primum in sententia primaria a d v e r b i u m v e l a d i e c t i v u m c o r r e l a t i v u m nonagies fere n o n e s t p o s i t u m:

‚Non confuse nec tumultuose eunt (sidera), ut aliquis credat illos causis turbulentis et inconstantibus pelli.' N. Q. VII. 8, 3 — ‚commendatio ex novitate et soliti ordinis commutatione captatur, ut ea quae includere solent cenam, prima ponantur, ut quae advenientibus dabantur, exeuntibus dentur.' Ep. 114, 9 — ‚possum pedes movere, ut non curram: currere non possum, ut pedes non moveam.' Const. s. 7, 5 — ‚Loqui non potes, nisi ut

vocem tuam quae ubique sunt gentes excipiant; irasci non potes, nisi ut omnia tremant.' Cl. I. 8, 5.

B) Deinde in sententia primaria legitur adverbium vel adiectivum correlativum.

a) Et adverbia quidem haec inveni: adeo cum verbis, adiectivis, adverbiis iunctum (quadragies fere):

,adeo falleris, ut quae maxima inter nos habentur — sestertio nummo aestimanda sint.' Ep. 95, 59. — ,adeoque adversus experimenta pertinaces sumus, ut bello victi et naufragi maria repetamus.' Ir. I. 1, 10.

Decies septies autem scriptum legi: ,adeo non — ut = weit entfernt, dass vielmehr, so wenig, dass, ad quod exprimendum semel Seneca, usque eo non ut' (Helv. 6, 5.), numquam ,tantum abest, ut — ut' adhibuit.

,Saepe adeo iniuriam vindicari non expedit, ut ne fateri quidem expediat.' Ir. II. 33, 2. — ,Nilus — adeo nihil exedit nec abradit, ut contra adiciat vires nimiumque in eo sit, quod solum temperat.' N. Q. IV. 2, 10.

eo (tricies fere) cum verbis vel tota sententia iungitur; bis genetivus partitivus additus est: ,iuravit (Cyrus) se amnem illum regis comitatus auferentem eo redacturum, ut transiri calcarique etiam a feminis posset.' Ir. III. 21, 2 — ,Cn. Pompeius — eo redegit populum Romanum, ut salvus esse non posset nisi beneficio servitutis.' Ben. V. 16, 4 — ,eo enim iam dementiae venimus, ut qui parce adulatur, pro maligno sit.' N. Q. IV. pr. 9 — ,eo deliciarum pervenimus, ut nisi gemmas calcare nolimus.' Ep. 86, 7.

,usque eo' vicies ter, bis ,eo usque' ita usurpatur, ut plerumque ad verbum vel totam sententiam, raro ad adiectivum vel participium referendum sit: ,usque eo in omnes vitae secessus mala sua illos sequuntur, ut nec bibant sine ambitione nec edant.' Brev. v. 12, 5. — ,quaecumque usque eo perniciosa sunt, ut contra remedium convaluerint.'

Helv. 2, 2. — Semel additur genet. part.: ,Vix sibi temperant, quin eo usque impudentiae provehantur, ut naturam oderint, quod infra deos sumus, quod non in aequo illis stetimus.' Ben. II. 29, 2.

huc: ,in hanc partem inclinabit, huc verget, ut cupiat debere gratiam, cupiat referre.' Ep. 81, 17.

,Huc usque,' ,illo usque' legitur Ep. 66, 25.

Ita vocabulum sexagies sexies in libris Senecae lingua Germanica vertendum est: so, in einer solchen Weise, so sehr. ,Ita sapientis animus solidus est et id roboris colligit, ut tam tutus sit ab iniuria quam illa, quae rettuli.' Const. s. 3, 5. — ,Tonitrua distinxere quidam ita, ut dicerent unum esse genus, cuius grave sit murmur; quale terrarum motum antecedit clauso vento et fremente.' N. Q. II. 27, 1.

,Ita ut' duodecies significat id, quod germanice exprimimus, cum dicimus: nur in so fern, in so weit — dass seu zwar — aber. cf. Hand Turs. III.[1]) p. 475. Dahl. p. 202 — Zumpt.[2]) § 726. Draegero[3]) H. S. § 523 etiam Seneca commemorandus fuit.

,Tu ita (carmina) resolvisti, ut quamvis structura illorum recesserit, permaneat tamen gratia.' Pol. 11, 5 — ,dum ita rem publicam dividit (sc. Pompeius), ut tamen in sua domo duae partes essent.' Ben. V. 16, 4. — ,Neque ego te iubeo semper inminere libro aut pugillaribus: dandum et aliquod intervallum animo, ita tamen, ut non resolvatur, sed remittatur.' Ep. 15, 6.

sic (quinquagies quater): ,sic — illa (carmina) ex alia lingua in aliam transtulisti, ut, quod difficillimum erat, omnes virtutes in alienam te orationem secutae sint.' Pol. XI., 5. ,Quod si iudicas non posse ullam stellam nisi signiferum (Thierkreis) adtingit, vadere: cometes potest sic latum habere circulum, ut in hunc tamen parte aliqua

---

[1]) F. Handii Tursellinus seu de particulis latinis commentarii. Vol. IV. Lipsiae 1845.

[2]) Zumpt. Lat. Grammat. 10. A. 1850.

[3]) Draeger. Historische Syntax 2. A. Leipzig 1881.

sui incidat.‘ N. Q. VII. 24, 2. — ‚Quod in exercitibus iis, quos imperatores magni ordinant, fieri videmus, ut imperium ducis simul omnes copiae sentiant sic dispositae, ut signum ab uno datum peditem simul equitemque percurrat. Ep. 59, 7.

tam cum adiectivis (participiis), adverbiis coniunctum circiter octogies invenitur: ‚bellum in Africam transtulit (sc. Scipio) tam lentus, ut opinionem luxuriae segnitiaeque malignis daret.‘ Ir. I. 11, 6. — ‚Nulli fortuna tam dedita est, ut multa temptanti ubique respondeat.‘ Ir. III. 6, 5. — ‚Numquam tam feliciter in multa discurrenti negotia dies transit, ut non aut ex homine aut ex re offensa nascatur.‘ Ir. III. 6, 3. —

‚non aliter quam ut‘ formula Seneca ter eodem fere sensu atque ‚sic, ita‘ particulis utitur: ‚hoc fulmen boni aliquid aliquando facit, sed tunc quoque non aliter quam ut noceat.‘ N. Q. II. 41, 1 — ‚numquam aliter hanc villam Vatia vivo praeteribam quam ut dicerem: Vatia hic situs est.‘ Ep. 55, 4. cf. Ep. 34, 1.

Hoc loco addere liceat, quinquies a Seneca dici ‚non nisi ut‘ = ‚nicht anders als so dass‘ seu ‚nicht ohne zu.‘

‚si gratus esse non licebit, nisi ut videar ingratus: aequissimo animo ad honestum consilium per mediam infamiam tendam.‘ Ep. 81, 20 — ‚et Pompeium et Caesarem, quorum nemo alterum offendere audebat, nisi ut alterum demereretur, simul provocavit.‘ Ep. 104, 33 — ‚non est instandum, non est memoria renovanda (sc. beneficii), nisi ut aliud dando prioris admoneas.‘ Ben. II. 11, 2. Cf. Cl. I. 8, 5. Ben. IV. 11, 2. Illae dicendi formulae ‚non aliter quam ut‘ ‚non — nisi ut‘ apud scriptores aureae latinitatis non inveniuntur, apud scriptores argenteae latinitatis sunt rarissimae. Et Cicero quidem dicere solet ‚non — nisi‘ omissa coniunctione ut. cf. Dahl. 207 ss.

b) In sententia primaria, cui enuntiatum consecutivum adicitur, octogies pronomina correlativa inveniuntur: hic (= talis), ille, iste, talis, tantus. Addam autem eas verborum conformationes, quae ex

illis pronominibus et substantivo aliquo aut ex praepositione et pronomine compositae sunt.

‚Ad hunc fastum pervenit venter delicatorum, ut gustare non possint piscem, nisi quem in ipso convivio natantem palpitantemque viderunt.‘ N. Q. III. 18, 3. cf. N. Q. II. 24, 1. Ep. 58, 14.

‚si cum hac exceptione detur sapientia, ut illam inclusam teneam nec enuntiem, reiciam.“ Ep. 6, 4.

‚Quid autem necesse est, in hoc (so weit) descendere, ut te petere comminus possint?‘ N. Q. IV. praef. 13. Cf. Ep. 81, 25. Marc. 16, 6.

‚Quidam in illa sententia sunt, quotiens duo simulacra talia exsistant, ut iudicent unum esse solis, alterum imaginis.‘ N. Q. I. 13, 1.

‚At plerique sunt, qui beneficia asperitate verborum et supercilio in odium adducunt eo sermone usi, ea superbia, ut impetrasse paeniteat.‘ Ben. II. 4, 1 — ‚is ordo mundo datus, ut appareat curam nostri non inter ultima habitam.‘ Ben. VI. 23, 4.

‚Illos vero altissimos viros error iste non tenuit, ut existimarent Iovem — levioribus fulminibus et lusoriis uti.’ N. Q. II. 44, 2.

‚Quia est alicuius speculi natura talis, ut maiora multo quam videat ostendat et in portentosum augeat formas, alicuius talis invicem, ut minuat.’ N. Q. I. 6. 2.

‚ergo tu in tantis erroribus es, ut existimes deos mortium signa praemittere—?’ N. Q. I. 1, 4.

c) Tricies sexies Seneca modum comparativum sequentibus particulis quam ut adhibet, ut effectum aliquem non sequi aut non esse ponendum exprimat. Ein adjectivischer oder adverbialer Comparativ mit quam ut hat denselben Sinn wie tantus oder tam magnus (etc.), ut non: Ariovistus maiorem arrogantiam sumpserat, quam ut ferendus videretur = tantam arrogantiam, ut non ferendus videretur? Dahl p. 187.

‚Tu longius iam processisti, quam ut possis verbis sanari.’ Ir. I. 16, 2. — ‚Et apertior ista sententia est,

quam ut interpretanda sit et disertior, quam ut adiuvanda.' Ep. 21, 8. — ,Maior sum et ad maiora genitus,' quam ut mancipium sim corporis mei.' Ep. 65, 21.

§ 4.

De ut concessivo.

Ut concessivum quadraginta quinque locis legitur. Et in sententia quidem primaria modo nulla particula (A), modo particulae ,tamen, nihilominus' opponuntur (B).

Atque ad concessionem negativam significandam Seneca ,ut non' adhibet (C), qua dicendi consuetudine cum optimis scriptoribus congruit. ,In die Bedeutung wenngleich, gesetzt auch dass geht ut über, indem es zuerst bedeutet: auch wenn die Sache so gedacht wird dass; der Satz ist also ein Folgesatz und verneinend heißt es ut non.' Madv.[1]) 440 A. 4.

A) ,Ut sit aliquid maius, quam quod Cynicus accipiat, nihil tam exiguum est, quod non honeste regis humanitas tribuat.' Ben. II. 17, 1 — ,ut prorogetur tibi dies mortis, nihil proficitur ad felicitatem, quoniam mora non fit beatior vita, sed longior.' Ben. V. 17, 6 — ,nihil tam magnum est, quod perire non possit, cui nascitur in perniciem, ut alia quiescant, ex ipsa magnitudine sua causa' (auch wenn andere Gründe nicht verhanden sind). Ben. VI. 31, 10 — ,Ut sit causa, non est efficiens causa, sed superveniens.' Ep. 65, 14.

B. ,Ut ex voto fluxerint omnia ut ante votum, male tamen de illo diiudicaverunt.' Prov. 3, 3 — ,ut bene cedat tanta sui diligentia, non tamen iucunda vita aut secura est.' Tr. an. 17, 1 — ,ut sint verae (probationes), tamen mendacio similes sunt.' Ep. 83, 8 — ,sed ut removeas ista, quae aut summa bona sunt aut summorum efficientia, nihilominus prodesse inter se sapientes possunt.'

---

[1]) Madvig. Lat. Sprachlehre. 3. A. 1857.

Ep. 109, 13. — ‚multa nihilominus, ut non optes — incident.‘ Ben. VI. 35, 1.

C) ‚ut non sequantur ulla incommoda, sequuntur autem plurima, grave tamen tormentum est debere, cui nolis.’ Ben. II. 18, 3 — ‚ecce hic dies ultimus est; ut non sit: prope ab ultimo est.’ Ep. 15, 12 — ‚si fugacissimis bonis credidit, cito deseritur et, ut non deseratur, adfligitur.’ Ep. 74, 18. (De hoc loco vide Fick.[1]) — ‚ut nullum aliud factum eius habeam, quo illum Catonibus inseram, hoc parum credimus.’ Ep. 95, 72.

§ 5.

De ut finali.

Ut coniunctionem ad id, quod intenditur, exprimendum Seneca circiter quadringenties vicies adhibuit. Enuntiationes autem, quae coniunctionem finalem sequuntur, partes alicuius adverbii finalis sustinere recte dici potest, quippe quae principali sententiae completae adiciantur, ut significetur, cur seu quem in finem aliquid fiat.

A) Enuntiata finalia plerumque quidem cum sententia primaria ita conectuntur, ut in ea pronomen vel adverbium correlativum non ponatur.

‚quid miraris bonos viros, ut confirmentur, concuti?’ Prov. 4, 15. — ‚Ut scias autem non esse sanos, quos ira possedit, ipsorum illorum habitum intuere.’ Ir. I. 1, 3. — ‚quaedam hastilia detorta, ut corrigamus, adurimus et adactis cuneis non ut frangamus, sed ut explicemus, elidimus.’ Ir. I. 6, 1. cf. Ben. IV. 5, 2. Ben. VI. 35, 3. N. Q. II. 28, 2. Ep. I. 4, 10. Ep. 104, 18.

B) In sententia autem primaria pronomina (pronomina cum substantivo coniuncta) vel adverbia, quae enuntiationem finalem significant (andeuten, darauf hinweisen), sexagies fere apud Senecam inveni.

---

[1]) L. Annaei Senecae opera recensuit C. R. Fickert. Lipsiae. 1842—1845.

Iam priusquam exempla afferam, in quibus ,in hoc' ,ad hoc' ,ob hoc' scriptum legimus, dicendum videtur, quod Draeger p. 688 exponit, quo facilius, qui legerint, quam vere dixerit, diiudicare possint. Hoc autem docet: ,Mit in hoc (wird im Hauptsatz auf die Finalpartikel hingewiesen) bei Sen. Ep. 41, 5, ad hoc erst Capitol. Gord. 3 u. 10., ob hoc nur Trebell. Gall. 2.'

in hoc (circiter tricies) (zu dem Zwecke): ,in hoc habes aures, ut non modulata tantum et mollia et ex dulci tracta compositaque accipiant: et risum audias oportet et fletum.' Ir. III. 35, 3 — ,habeo in equestribus locum, non ut vendam, non ut locem, non ut habitem, in hoc tantum, ut spectem.' Ben. VII. 12, 3 — ,vivaria piscium in hoc clausa, ut tempestatum periculum non adiret gula et quamvis acerrime pelago saeviente haberet luxuria portus suos.' Ep. 90, 7 — ,voluptatem natura necessariis rebus admiscuit, non ut illam peteremus, sed ut ea, sine quibus non possumus vivere, gratiora nobis illius faceret accessio.' Ep. 116, 3 — cf. Ep. 41, 5. Ir. II. 26, 3. Cl. I. 18, 2. Ben. VI. 20, 1 aliaque. cf. p. 17.

ad hoc: ,Sapiens — habere amicum vult — non ad hoc, quod dicebat Epicurus in hac ipsa epistula, ut habeat, qui sibi aegro adsideat, succurrat in vincula coniecto vel inopi, sed ut habeat aliquem, cui ipse aegro adsideat.' — Ep. 9, 8. — ,Quid nos ad hoc fortes sumus, ut levia portemus?' Ep. 78, 17. — Fortasse huc referri potest N. Q. I. 5, 9: ,ut nubes infici possint, sol ad hoc apte ponendus est.' — Ep. 20, 8: ,Redige te ad parva, ex quibus cadere non possis idque ut libentius facias, ad hoc pertinebit tributum huius epistulae, quod statim conferam.'

ob hoc: ,si nihil aliud, ob hoc profice, ut amare discas.' Ep. 35, 1 — propter hoc: ,Sed si propter hoc tergiversaris, ut circumspicias, quantum feras tecum et quam magna pecunia instruas otium: numquam exitum invenies.' Ep. 22, 12.

Confer praeterea: ,Et quando, inquis, tibi proderit istud, quod in exitu discis aut in quam rem? in hanc, ut exeam melior.' Ep. 68, 14 — ,nec in hunc usum pinus

aut abies deferebatur longo vehiculorum ordine vicis intrementibus, ut ex illa lacunaria auro gravia penderent.' Ep. 90, 9.

,turpissimum id causa ullius alterius rei dare, quam ut datum sit.' Ben. IV. 3, 1.

,eo, inquit (sc. Alexander), proposito in Asiam veni, non ut id acciperem, quod dedissetis, sed ut id haberetis, quod reliquissem.' Ep. 53, 10. (nescio, quo iure Haase ,ut non id acciperem' scripserit) — ,si modo hoc proposito in turbam prodeunt, ut meliores fiant faciantque meliores.' Ep. 52, 9.

,Haec non ideo refero, ut laudes eius exsequar, quas circumscribere est tam parce transcurrere, sed ut intellegas.' Helv. 19, 7. ,Ideo' sexies legi.

,Id de quo quaeris ex his est, quae scire tantum eo, ut scias pertinet.' Ep. 108, 1.

Usitata est Senecae interrogatio: ,Quorsus hoc pertinet' similisve, ad quam enuntiatione finali responsio datur. ,Quorsus, inquis, haec quaestio pertinet? Ut sciamus, quid sit ira.' Ir. II. 2, 1. cf. Ir. III. 5, 1. Ot. 7, 4. N. Q. III. 19, 4. Ep. 66, 27. N. Q. II. 26, 6. (quorsus haec rettuli?)

C) Sicut autem enuntiata modalia, ita etiam finalia Seneca tali modo orationi adiungit, ut eius constructioni non subiciat. Parenthetische Finalsätze. cf. p. 5. Quae enuntiata Seneca adhibet aut 1) ut ad ea, quae dixit, explicanda et confirmanda vel ad alias res exponendas transeat, quod non raro ita fit, ut formulis dicendi utatur, quibus orationem praecidat et contrahat, aut 2) ut de verbo, quod usurpat, se excuset vel eius auctorem nominet vel illud confirmet magisque efferat.

Ad I.: Longe usitatissima formula, quam vicies ter inveni, haec est: ,ut scias.'

,Et ut scias quemadmodum incipiant adfectus, — est primus motus non voluntarius.' Ir. II. 4, 1.

formula illa ,ut scias' non significatur, qua de causa seu quem in finem primus motus non sit voluntarius. Esse autem aliquid addendum, ut ,hoc dico' vel ,audi' vel ,ani-

madverte,' facile intellegitur. — Atque ipse Cicero hunc dicendi modum interdum usurpavit. cf. Cat. m. 59.

Alia enuntiata, quae inseruntur, enumerabo plurima, ut proprietas dicendi Annaeana cognoscatur.

,ut a proximis mendaciis incipiam.' N. Q. VII. 51 — ,ut a communibus initium faciam, ver aperire se coepit.' Ep. 67, 1 — ,ut respondere ab ultimo incipiam.' Ben. VII. 18, 2 — ,ut minime probabili, sed vero solacio utar.' Marc. 20, 2 — ,ut vera tibi similitudine id, de quo queror, exprimam; non tempestate vexor, sed nausia.' Tr. an. 1, 17 — ,Sed ut dialogorum altercatione seposita tamquam iurisconsultus respondeam, mens spectanda est dantis., Ben. V. 19, 8 — ,ut malevolentiam tuam pascam.' Vit. b. 17, 3 — ,Sed ut omisso principio rem ipsam adgrediar.' Ep. 95, 4 — ,ut relinquam definitiones sapientiae veteres.' Ep. 20, 5.

,ut breviter tibi respondeam.' Ben. II. 18, 3 — ,ut breviter autem voluntatem eius exprimam.' N. Q. VII. 6, 2 — ,ut breviter tamquam in alieno iudicio dicam.' Cl. II. 7, 2 — ,ut breviter dicam.' N. Q. I. 1, 6 — ,ut quod volo, exprimam breviter.' Ep. 66, 39. ,ut breviter.' Ben. IV. 40, 5 — ,ut breviter finiam.' Ep. 75, 11 — ,denique ut breviter tibi formulam scribam.' Ep. 92, 3 — ,Denique ut breviter includam.' Ep. 98, 8 — ,Sed ut finem epistulae imponam.' Ep. 4, 10 — ,Sed ut more meo cum aliquo munusculo epistulam mittam, verum est, quod apud Athenodorum inveni.' Ep. 10, 5 — ,Sed ut huius quoque diei lucellum tecum communicem, apud Hecatonem inveni cupiditatium finem etiam ad timoris remedia proficere.' Ep. 5, 7 — ,Sed ut omnia alia exempla praeteream, ut in me quoque ipso alia taceam funera, bis me fraterno luctu adgressa fortuna est.' Pol. 16, 3 — ,Ut seponamus, quae mox secutura sunt.' Ir. III. 5, 6 — ,nam ut alios dominos — transeas.' Ep. 92, 8 — ,ut antiquiora, quae vetustas obduxit, transeam.' Helv. 7, 8 — ,ut alia omnia transeam.' Ep. 86, 16 — ,ut alia praeteream.' N. Q. 16, 2 — ,ut illa praeteream.' Ep. 74, 14 — ,ut nihil aliud dicam.' Ir.

I. 11, 4 — ‚necesse erit certe nobis mores Romanos repetere, ut nihil aliud dicam.‘ Ben. III. 31, 5.

‚ut ad propositum revertar.‘ Ben. IV. 27, 4 — ‚ut me ad propositum reducam.‘ Ben. IV. 33, 1 — ‚ut ad id, de quo agitur, revertar.‘ N. Q. 16, 1 — ‚ut aliud quoque, de quo non quaeris, infulciam.‘ Ep. 105, 5.

Ad II.: ‚ut ita dicam‘[1]) quadragies inveni: ‚tota (sc. vita), ut ita dicam, in reditu est.‘ Brev. v. 11, 2. — ‚Iam tempus est quaedam ex nostra, ut ita dicam, moneta proferri.‘ Ben. III. 35, 1 — ‚ut verbo eorum molliori utar.‘ N. Q. II. 49, 3 — ‚ut iurisconsultorum verbo utar.‘ N. Q. II. 1, 2 — ‚ut publicanorum utar verbo.‘ Ep. 95, 66 — ‚ut Ciceronis utar verbo.‘ Ep. 17, 2 — ‚ut Sallustii utar verbis.‘ N. Q. VII. 8, 2 — ‚ut nostra lingua loquar.‘ Ep. 74, 17 — ‚ut similitudinem istam prosequar.‘ Ep. 13, 3 — ‚ut proprie dicam.‘ Ep. 26, 4 — ‚ut verius dicam.‘ Ep. 30, 1 — ‚ut verum dicam.‘ Ep. 50, 5 — ‚ut carmen iustius ac fortius petam.‘ Ep. 98, 5 — ‚ut verbis illum, quibus laudari dignus est, laudem.‘ Ep. 77, 6.

§ 6.

De ut coniunctione, quae in enuntiatis loco substantivi alicuius positis usurpatur.

Sicut apud alios scriptores omnes, ita apud Senecam permulta coniunctione ut praemissa leguntur enuntiata, quae vicem alicuius substantivi explere facile intellegimus, cuiusmodi sententiae a Madvigio (§ 354) et Dahlio (p. 231) ‚Gegenstandssätze‘, a Draegero (H. S. 222) et Kühnero[2]) (§ 183) ‚Substantivsätze‘ appellantur. Atque duplex eorum genus Dahl (p. 231) aliique recte distinguunt, prout con-

[1]) Cf. Quintil. VIII. 3, 37. Si quid periculosius finxisse videbimur, quibusdam remediis praemuniendum est: Ut ita dicam — Si licet dicere — Quodam modo — Permittite mihi sic uti. Quod idem etiam in iis, quae licentius translata sunt, proderit. — Etiam apud Ciceronem illa formula dicendi nonnunquam invenitur. cf. Lael. § 49, § 55, § 69.

[2]) Kühner, ausführliche Grammatik der lat. Sprache. 1877—1878.

iunctivus generis (‚wie in Folgesätzen‘) aut coniunctivus voluntatis (‚wie in Absichtssätzen') invenitur. Illa enim enuntiata cum aut aliquod merum factum vel effectum aut id, quod aliquis vult vel intendit, exprimant, sententiis consecutivis et finalibus non dissimilia sunt, unde repetendum videtur, quod ‚ut,‘ non alia coniunctio aut accusativus cum infinitivo usurpatur. cf. Zumpt. § 613.

I. Enuntiata loco substantivi alicuius posita, in quibus coniunctivus generis invenitur.

A) Primum ut coniunctio sequitur verba impersonalia, quibus significatur aliquid fieri vel accidere (nach den Ausdrücken des Geschehens u. ähnl.).

accidit (quinquies): ‚Sic enim in proelio potest accidere, ut telum meum in commilitonem manus dirigat aliquo errore decepta et hosti tamqam meo parcam.‘ Ben. IV. 34, 2. cf. Ben. V. 3, 1 — ‚quidni accidere possit, ut alter (sc. ventus) superiorem aëra agitet, alter inferum?‘ N. Q. VI. 12, 3 — ‚Perge, Lucili, et propera, ne tibi accidat, quod mihi, ut senex discas.‘ Ep. 76, 5. cf. Ep. 83, 17. —

contingit (quinquies): ‚Nemo quam bene vivat, sed quam diu, curat, cum omnibus possit contingere, ut bene vivant, ut diu nulli.‘ Ep. 22, 17 — ‚Potest nocenti contingere, ut lateat, latendi fides non potest' (i. e. die Zuversicht, verborgen zu bleiben). Ep. 97, 13 — N. Q. I. 12, 1 (si ita contigit, ut) — cf. Ep. 30, 12 (si cui contigit, ut). cf. Ep. 117, 9.

Saepe (bis et tricies) Seneca verbo ‚contingit,‘ cui plerumque aliquis dativus additus est, infinitivum adiungit, quae constructio apud aureae latinitatis scriptores semel (pr. Archia p. 3, 4), saepius apud poetas et aetate argenteae latinitatis invenitur.

‚remittere arcum tibi non contingit.‘ Const. s. 13, 4 — ‚contigit tam nobis bene componere animum.‘ Ir. III. 39, 1 — ‚tibi non magis quam soli latere contingit.‘ Cl. I. 8, 4 — ‚Qui se habet, nihil perdidit: sed quoto cuique habere se contigit?‘ Ep. 42, 10 — ‚Si non contingit praevenire, plura rogantis verba intercidamus.‘ Ben. II. 2, 2.

est: ,inde est, ut omnia meruisse se existimet.' Ben. II. 26. — ,Futurum est ut sapiam' Ep. 117, 29. — Praeter haec enuntiata tria alia legi, in quibus esse ad infinitivum futuri exprimendum adhibetur: ,cum quidam — diceret — brevi futurum, ut omnes exsules reverterentur.' Ben. VI. 37, 2. cf. Ben. VII. 20, 1 — Ep. 30, 6.

evenit (octies decies): ,quid autem turpius, quam quod evenit frequentissime, ut nihil intersit inter odium et beneficium.' Ben. II. 14, 5 — ,cum magna pars consilii sit in tempore, necesse est evenire, ut de quibusdam rebus tunc ad te perferatur sententia mea, cum iam contraria potior est.' Ep. 71, 1.

fit (sexies decies): ,ita fit, ut frequenter inrita sit eius voluntas, qui non, quae facilia sunt, adgreditur, sed vult facilia esse, quae adgressus est.' Ir. III. 7, 1. — ,Sic factum est, ut praeceptoris tibi non esset ulla veneratio.' Ben. VII. 28, 2 — ,doce — saepissime fieri, ut qui diu vixit, parum vixerit.' Ep. 49, 10.

fieri potest (semel et vicies): ,potest igitur fieri, ut nubes quoque ignem eodem modo vel percussae reddant vel adtritae.' N. Q. II. 22, 2 — .negant posse fieri, ut cum grandine aliquis paciscatur.' N. Q. IV. 7, 1.

,non potest fieri, ut non aliquando succedat multa temptanti.' Ep. 29, 2. cf. N. Q. VI. 16, 3.

incidit: ,in fluminibus ac mari videmus incidere, ut incrementum aquarum, quotiens navigia desidunt, in lateribus maxime adpareat.' N. Q. VI. 6, 4. cf. Cic. fin. I. 3, 7.

B) Deinde ut coniunctio sequitur verba, quibus significatio subest: es folgt, es ist übrig, es fehlt similisque.

abest: ,absit hoc a virtute malum, ut umquam ratio ad vitia confugiat.' Ir. I. 10, 2. cf. Apul. met. II. 3: Absit, ut Milonem hospitem deseram.

Itaque Draeger p. 269 non omnino recte videtur iudicare, cum scribat: die einfachste Satzform absit ut (,das sei fern, dass') findet sich erst bei Apuleius.

t a n t u m a b e s t: ,parcebantque adhuc etiam multis animalibus: tantum aberat, ut homo hominem, non iratus, non timens, tantum spectaturus occideret.' Ep. 90, 45 — cf. Cic. acad. II. 117 (longe abest ut).

d e e s t: ,Hoc unum deest avaritiae, ut beneficia sine sponsore non demus.' Ben. II. 15, 4.

n a s c i t u r: ,ex hac deploratione nascitur, ut ingrati divinorum interpretes simus.' Ep. 74, 11. cf. Cic. fin. III. 63: ex hoc nascitur, ut. Plin. n. h. XXV. 11.

s e q u i t u r (vicies sexies): ,sequitur, ut male collocata male deleantur.' Ben. I, 1 — ,Inde et illud sequitur, ut minimis rebus non exacerbemur.' Ir. II. 25, 1 — ,quid sequitur? ut haec res illi alios amicos, alia beneficia conciliet?' Ben. IV. 20, 2 — ,non ideo sequitur, ut ne monitiones quidem proficiant.' Ep. 94, 39 —

s u p e r e s t: ,Superest, ut rationalem partem philosophiae dividam.' Ep. 89, 17 — cf. Remy [1]) p. 39.

C o r r i g e n d u m i g i t u r v i d e t u r, q u o d D r a e g e r p. 272 s c r i b i t: ,Superest ut findet sich nicht vor Plin. ep. I. 1, 2: superest, ut nec te consilii nec me poeniteat obsequii. Von da ab erst wieder bei Lactanz, der aber auch, wie schon Ovid, den bloßen Inf. gebraucht.' cf. ,non multum superest, ut exstinguat (sc. vitia).' Sen. ep. 68, 13, in qua sententia aliam voci ,superest' significationem subesse cognoscitur.

p r o x i m u m e s t: ,proximum est, ut modus proficiat.' Ir. I. 6, 2.

p r o p e e s t: ,prope enim est, ut libenter damnet, qui cito, prope est, ut inique puniat, qui nimis.' Cl. I. 14, 3 — ,prope est, ut lamentationem exigat.' Cl. II. 6, 4 — ,multos dixi: prope est, ut omnes sint.' Ep. 120, 21.

p r i u s e s t: ,Natura prius est, ut quis debeat, deinde ut gratiam referat.' Ben. V. 8, 1 — cf. Ep. 89, 14: ,primum enim est, ut quantum quidque sit iudices, secundum, ut impetum ad illa capias ordinatum temperatumque; tertium, ut inter impetum tuum actionemque conveniat,

---

[1]) Remy Edm. De subiunctivo et inf. apud Plin. min. Lovanii 1884.

ut in omnibus istis tibi ipse consentias.' Vide Cic. fam. XV. 14, 4.

Draeger p. 267 verborum conformationem ,prope est ut' nisi a Livio non usurpari parum accurate docet. cf. Remy p. 43.

,accedit ut' ter apud Senecam legi: ,oportet accedat, ut eius causa faciam, ad quem volam pervenire beneficium.' Ben. IV. 29, 3.

,Huc et illud accedat, ut perfecta virtus sit.' Ep. 31, 8 — cf. Cl. I. 1, 7.

Draegero p. 237 usus Senecae commemorandus fuit.

adice ut: ,Adice, ut idem patrem reum defendat et conspirationi inimicorum potentium eripiat, ut alterum illi consulatum ac tertium aliosque honores etiam consularibus concupiscendos congerat, ut pauperi raptas belli iure opes tradat et, quod est militaribus viris speciosissimum, divitem illum spoliis etiam hostilibus faciat. Si adhuc parum est, adice ut provincias et extraordinaria imperia continuet.' Ben. III. 33, 2, 3. Saepissime ,adice quod' legitur.

C) Tum ut coniungitur nonnumquam verbis, quibus id, quod consentaneum, necessarium est, vel aliquid simile exprimatur:

necesse est: ,necesse est enim, ut et imus aether habeat aliquid aëri simile et summus aer non sit dissimilis imo aetheri.' N. Q. II. 14, 2 — ,necesse est, ut exsurgat (sc. morbus) et desinat.' Ep. 78, 17. (Cur Haase ,exsurgit' scripserit, non intellego.)

convenit: ,Quomodo, oro te, convenit, ut et Diogenem mireris et Daedalum?' Ep. 90, 14 — ,Convenerat quidem, ut tua priora essent.' Ep. 118, 1.

naturale est: ,naturale est enim, ut semper animus ab eo refugiat, ad quod cum tristitia revertitur.' Pol. 18, 7 — ,Sed naturale est, inquis, ut desiderio amici torquear.' Ep. 113, 2 — In eadem fere sententia legitur: naturale est opinionibus hominum tangi.

Itaque si Draeger p. 276 scribit: ,Nur Plin. n. h. XI. 144,' falsum id esse apparet.

Simili sensu atque ,naturale est' Seneca semel usus est phrasi ,recipit rerum natura': ,non recipit rerum natura, ut aliquis magno animo accedat ad id, quod malum iudicat' (es liegt nicht in der Natur). Ep. 82, 17.

verisimile est: ,Deos verisimile est, ut alios indulgentius tractent propter parentes avosque, alios propter futuram nepotum pronepotumque ac longe sequentium posterorum indolem.' Ben: IV. 32, 1. Quater apud Ciceronem ,non verisimile est, ut' legitur. cf. R. Am. 141 a. l.

Draeger p. 277 docet: ,verisimile (ut) nur in verneinten Sätzen,' id quod non accurate dici manifestum est.

verius, aptius est:[1]) ,vide, oro te, ne hoc et verius sit et magnitudini bene facientis aptius, ut illum hortemur ad danda.' Cl. II. 2, 2.

difficile est: ,Difficile est quidem, ut ad haec hilariora studia tam vehementer perculsus animus tam cito possit accedere.' Pol. 8, 3.

Draeger (p. 275) Senecae usum ignoravit.

,Sufficit ut' impersonali quam vocant constructione apud Tac. dial. 32, Plin. ep. IX. 21, 3 a. l. invenimus. Atque Seneca verbo sufficiendi semel sensu personali utitur: ,quia non sufficimus, ut singulis singula adsignemus, quotiens opus est, mutuamur.' Ben. II. 34, 2.

D) Denique ut coniunctio consequitur quasdam dicendi formulas, quae ex substantivo aliquo et verbo compositae sunt. Huc referenda sunt illa quoque enuntiata, in quibus aliquod substantivum, pronomen (adiectivum, adverbium), quod est in sententia primaria, explicatur

---

[1]) Hoc loco referre iuvat, quod Zumpt. § 623 praeclare exponit: Was bei den Ausdrücken es ereignet sich und es ist noch übrig Sprachgebrauch geworden ist, das kann wenigstens zur Erklärung dienen, warum bei mehreren adjectivischen Ausdrücken, welche den Begriff des Geschehens einschließen, statt des Infinitivs ausnahmsweise ut gebraucht wird.

(‚Ut explicativum'). cf. Dahl p. 252 et 260, Madv. § 374, Kühn. § 187 k, C. I. Grysar ‚Etwas über den Gebrauch der Coniunction ut' (Zeitschrift für österr. Gymnas. VII. p. 336—344).

Et ut coniunctio explicativa apud Senecam in usu est frequentissimo.

Ius est: ‚Hoc primum beneficii dati sit ius, ut recipiendi tempus eligat, qui dedit.' Ben. VI. 41, 2.

fatum est: ‚Hoc quoque, inquit, ipsum necesse est fato comprehensum sit, ut aut suscipias vota aut non. Puta me manus dare tibi et fateri hoc quoque fato esse comprehensum, ut utique fiant vota: ideo fient. Fatum est, ut iste peritus sit, sed si litteras didicerit. atqui eodem fato continetur, ut litteras discat: ideo docendus est. Hic dives erit, sed si navigaverit; at in illo fati ordine, quo patrimonium illi grande promittitur, hoc quoque protinus ad fatum est, ut et naviget: ideo navigabit. Idem tibi de expiationibus dico. Effugiet pericula, si expiaverit praedictas divinitus minas. at hoc quoque in fato est, ut expiet: ideo expiabit.' N. Q. II. 38, 1—3 — ‚si necessitas alterutri nostrum inminet fatoque quodam datum est, ut aut tu cogaris beneficium recipere aut ego accipere, det potius, qui solet.' Ben. VI. 41, 2.

pro honore dare: ‚Est proprium superbiae magno aestimare introitum ac tactum sui liminis et pro honore dare, ut ostio suo propius adsideas, ut gradum prior intra domum ponas.' Ben. VI. 34, 1. ‚Cur ergo aquilae hic honor datus est, ut magnarum rerum faceret auspicia?' N. Q. II. 32, 5 — cf. Ben. III. 10, 1: hoc inducere ut.

Ut explicativum etiam in sententiis, quas addam, intelligi posse existimo: ‚quid est sapientia? semper idem velle atque idem nolle. licet illam exceptiunculam non adicias, ut rectum sit, quod velis.' Ep. 20, 5 — ‚apud Epicurum duo bona sunt, ex quibus summum illud beatumque componitur, ut corpus sine dolore sit, animus sine perturbatione.' Ep. 66, 45. ‚Quod duces magni faciunt rebus adfectis, ut hilaritatem de industria simulent et adversas res adumbrata laetitia abscondant, ne militum animi, si

fractam ducis sui mentem viderint, et ipsi collabantur: id nunc tibi quoque faciendum est.' Pol. 5, 4 — ,Opus est itaque non illis durioribus, quae etiam transcucurrimus, ut alicubi obstes tibi, alicubi irascaris, alicubi instes gravis: sed illud, quod ultimum venit, ut fidem tibi habeas et recta ire te via credas.' Tranq. an. 2, 2 — ,vide ne hoc magis deceat magnitudinem mundi, ut in multa itinera divisus sit nec hanc unam deterat semitam, ceteris partibus torpeat' N. Q. VII. 24, 2 — ,Quid autem id erit, nisi ut te exhorter ad bonam mentem?' Ep. 23, 1 — ,numquid ultra quicquam ulli timendum est, quam ut uratur? quam ut pereat?' Ep. 24, 3 — ,Si de hoc inter nos convenit, sequitur, ut de illo quoque conveniat, in hoc uno positam esse beatam vitam, ut in nobis ratio perfecta sit.' Ep. 92, 2 — ,in hoc volo sapiens esse, ut sapiam.' Ep. 117, 16 — ,eadem ex diverso ratio virtutum est, ut omne, quod suum habent, mitigent.' Ir. III. 7, 2 — ,omnis eius (sc. Augusti) sermo ad hoc semper revolutus est, ut speraret otium.' Brev. v. 4, 2.

Nonnumquam Seneca verbum faciendi ad aliud verbum magis efferendum adhibuit, qui dicendi modus Ciceroni fuit usitatissimus. cf. Zumpt § 619 A. 2, Kühner § 187 A. 1, Dahl p. 235. ,Sed faciendum erit, si in rei publicae tempus minus tractabile incideris, ut plus otio ac litteris vindices.' Tr. an. 5, 5 — ,Faciebat hoc Sextius, ut consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: quod hodie malum tuum sanasti?' Ir. III. 36, 1 — ,non faciam, quod victi solent, ut provocem ad populum.' Ep. 117, 7 — ,Nec illud quidem existimo faciendum, ut referre gratiam etiam invitis his, quibus refertur, properemus.' Ben. IV. 40, 4. cf. Prov. 2, 4. Ep. 22, 8. Ep. 51, 7.

II. Enuntiata loco substantivi alicuius posita, in quibus coniunctivus voluntatis invenitur.

Ut finale apud Senecam ea verba sequitur, quibus significatur: sich bemühen, bewirken, erlangen — bitten, ermahnen, rathen, befehlen — wünschen, erwarten.

Iam consideranti mihi, ad quem ordinem verba

digeram, alphabeticus qui vocatur ordo ad id, quod specto, assequendum utilissimus visus est.

adducere: ‚non enim adducor, ut in numerum liberalium artium pictores recipiam.‘ Ep. 88, 18 cf. Draeg. p. 240.

adsequi: ‚nihil amplius adsecutus eris, quam ut eas difficultates effugeris.‘ Ben. V. 12, 1 — cf. Draeg. p. 238.

‚agere ut‘ pronomine demonstrativo non addito Seneca bis usurpat et semel quidem ita, ut agere enuntiationem finalem sequatur: ‚decretis agendum est, ut revellatur penitus falsorum recepta persuasio.‘ Ep. 95, 34 — ‚non ut vobis facere non liceat iniuriam, agimus, sed ut ille (sc. sapiens) omnes iniurias in altum demittat.‘ Const. s. 9, 4 — cf. Liv. XXIV. 28, 5: itaque, ut idem omnes sentiant, summa vi agendum esse. XXXII. 21, 8: miramini, cur diffidenter Cleomedon, legatus Philippi, ut pro rege arma caperemus adversus Romanos, modo egerit.

Quibus enuntiationibus perpensis dubitari potest, num Draeger satis accurate p. 264 dixerit: ‚id agere (streben) — ohne id Quint. X. 2, 10: qui agit, ut prior sit. Aber Halm schreibt mit Recht: qui hoc agit.‘

id (hoc) agere (c. quadragies): ‚id egit ipse, ut meliore sui parte duraret et compositis eloquentiae praeclaris operibus a mortalitate se vindicaret.‘ Pol. 2, 6 — ‚cogita non id egisse te ab aetate prima omni cultu studiorum liberalium, ut tibi multa milia frumenti bene committerentur.‘ Brev. v. 18, 4 — ‚Tot maximi viri — hoc unum in extremam usque aetatem egerunt, ut vivere scirent.‘ Brev. v. 7, 4 — ‚Quid enim aliud agas, quam ut meliorem te ipse cotidie facias, ut aliquid ex erroribus ponas, ut intellegas tua vitia esse, quae putas rerum?‘ Ep. 50, 1.

cogere: cogenda est (mens), ut incipiat. Ep. 50, 9.[1])

---

[1]) Draeg. 240: cogo ut — findet sich in allen Zeitaltern neben der weit geläufigeren Infinitiv-Construction.

c a p t a r e (haschen, verlangen): ,hoc sine dubio, impotens fortuna, captasti, ut ostenderes neminem contra te, ne a Caesare quidem, posse defendi.' Pol. 3, 5.

c a v e r e: ,Ab his, qui manus arenae locant et edunt ac bibunt, quae per sanguinem reddant, cavetur, ut ista vel inviti patiantur: a te, ut volens libensque patiaris.' Ep. 37, 2.[1])

c e r t a r e: ,In hac quoque urbe verisimile est certaturos omnes, ut maiora certioraque quam amisere restituantur.' Ep. 91, 14 — ,certent, ut qui praestiterunt, obliviscantur.' Ben. I. 4, 5.

c o m m i t t e r e: ,nec umquam committet virtus, ut vitia — imitetur.' Ir. II. 6, 2 ,ne commiseris, ut quisquis exemplo ac modo scripta tua mirabitur, quaerat, quomodo tam grandia tamque solida tam fragilis animus conceperit.' Pol. 11, 6 — ,nec committam, ut possit quandoque dicere: ,ille amando me occidit.' Ben. II. 14, 5 — ,mihi et tibi non est committendum, ut incidamus in rem commotam.' Ep. 116, 5 — cf. Ben. IV. 36, 2.

Iam in exemplis Annaeanis allatis coniunctivum intellegendum esse voluntatis existimo (non committo = id ago). Quid Kühner de formula dicendi ,non committo, ut' sentiat, vide § 187 a.

c o m p e l l e r e: ,Ut de clementia scriberem, Nero Caesar, una me vox tua maxime compulit.' Cl. II. 1, 1.

c o n s e q u i (sexies): ,Sic ergo formare, ut scias non posse te consequi, ut sis impenetrabilis.' N. Q. IV. praef. 5 — ,Quid consequar? ut pudeat animum tot miseriarum victorem aegre ferre unum vulnus in corpore tam cicatricoso.' Helv. 2, 2.

c o n v e n i t (übereinkommen): ,si illud mihi tecum convenerit, ut statim tibi solvam, quod debeo.' Ep. 9, 6. cf. Draeg. p. 247.

Acc. c. Inf. alia significatione usurpatur Ep. 92, 2: ,Si de hoc inter nos convenit, sequitur, ut de illo quoque

---

[1]) Cavere kann, wenn es positive Bedeutung hat (sorgen), mit ut verbunden werden. Draeg. 263.

conveniat in hoc uno positam esse beatam vitam, ut in nobis ratio perfecta sit.'

c u r a r e (septies): ,ante senectutem curavi, ut bene viverem, in senectute, ut bene moriar.' Ep. 61, 2 — ,curandum est, ut in eos potissimum beneficia conferamus, qui grate responsuri erunt.' Ben. I. 10, 5.

d e p r e c a r i: ,rogare (sc. deos), ut promissa firment, deprecari, ut remittant minas.' N. Q. II. 33.

e f f i c e r e (c. quinquagies), quo verbo inter ea, quae coniunctionem ut exigunt, nullum aliud saepius a Seneca usurpatum est: ,effice, ut idem status sit, quo exigis, qui fuit, cum promitterem.' Ben. IV. 39, 4 — ,efficere volo, ut illas (sc. opes) intrepide possideas.' Ep. 18, 13 — ,effice, ut ego mortem non fugiam, vita me non effugiat.' Ep. 49, 10 — ,si potest virtus efficere, ne miser aliquis sit, facilius efficiet, ut beatissimus sit.' Ep. 92, 15.

Enuntiatis quidem, quae verbum efficiendi sequuntur, et apud alios scriptores et apud Senecam saepe nihil nisi effectus (factum) significatur: ,Ceciderat (sc. C. Caesar) flagellis senatores; ipse effecit, ut dici possit: solet fieri.' Ir. III. 19, 1 — ,sic effectum est, ut diligentius scirent loqui quam vivere.' Ep. 88, 42. cf. Ir. III. 34, 1. Ben. II. 34, 4. Quamquam Zumpt. § 618 docet, ,lateinisch werde das Verhältnis der Abhängigkeit (nach facio, efficio u. a.) als beabsichtigte Folge aufgefasst,' tamen duo genera enuntiatorum recte distingui iudico, prout aut consilium (coniunctivus voluntatis) aut solus merusque effectus (coniunctivus generis) exprimatur. Eo autem magis ita distingui consentaneum est, quod apud praestantissimos scriptores in sententiis negativis tum ,ut non,' tum ,ne' ponitur. [1])

Quinquies verbo faciendi eodem sensu atque verbo efficiendi Seneca usus est: ,quod ut videretur quaerendum, illa fecerunt.' Ben. V. 7, 2 — ,ut satis vixerimus, nec anni nec dies faciunt, sed animus.' Ep. 61, 4 — ,etiamsi

---

[1]) cf. Zeitschrift für österr. Gymnas. XXXIV. p. 678 (J. Golling). Etiam apud Ciceronem invenitur „efficere ne." cf. Fin. IV. 4, 10.

Iuppiter illa non facit nunc, Iuppiter fecit, ut fieret.' N. Q. II. 46, 1. cf. N. Q. II. 59, 4. Ep. 96, 4.

exigere (septies decies): ,numquid hoc quoque aliquis a deo exigit, ut bonorum virorum etiam sarcinas servet ?' Prov. 6, 1 — ,exige itaque a me, non ut optimis par sim, sed ut malis melior.' Vit. b. 17, 3. [1])

Nescio, quo iure Draeger p. 245 hoc dicat: ,Exigere in der Bedeutung ,fordern' kommt mit ut nur bei Cic. vor: fin. 2, 35 — 4, 28.'

exspectare (ter decies): ,Non est, quod exspectes, ut solutionem tibi ostendam.' Ben. II. 34, 1 — ,non exspecto, ut quicquam ex praeceptis Vergilii fiat „obvertunt pelago proras" aut „ancora de prora iacitur."' Ep. 53. 3.

Exspectare non raro sensu qui dicitur ironico a Seneca usurpatur: ,Exspecta, ut nisi bene cessura non facias et nisi comperta veritate nihil moveris: relicto omni actu vita consistit.' Ben. IV. 33, 3 — ,Exspecta iam, ut manducata ponantur.' Ep. 95, 27 — De verbo exspectandi cf. Draeg. p. 256.

favere: ,Facimus autem plerumque ingratos et ut sint favemus.' Ben. II. 17, 5 — cf. Plin. ep. VI. 25, 5: di faveant ut.

hortari (c. decies): ,illum hostis saevissimus (sc. Priamum Achilles) multis solaciis, ut cibum caperet, hortatus est, non ut pocula ingentia — siccaret.' Ir. II. 33, 5 — ,hortor, ut perseveres.' Ep. 5, 1.

Infinitivus legitur Const. s. 16, 3: ,utraque exempla hortantur contemnere iniurias.'

adhortari: ,haec (philosophia) adhortabitur, ut deo libenter pareamus, fortunae contumaciter.' Ep. 16, 5 — cf. Prov. 4, 11.

Infinitivus invenitur Ir. III. 15, 3: ,non adhortabimur ferre imperia carnificum.'

exhortari: ,exhortaris, ut totius gentis ruinam obiectis corporibus excipiant.' Ep. 82, 21.

---

[1]) De hoc loco cf. Gertz. L. Annaei Senecae dialogorum libros XII recensuit. Havniae 1886.

imperare: ,nisi forte his maxime diebus animo imperandum est, ut tunc voluptatibus solus abstineat, cum in illas omnis turba procubuit.' Ep. 18, 3 — ,Imperavi mihi, ut viverem.' Ep. 78, 2 — cf. Ben. III. 24, 1.

Ex usu communi Seneca ad verbum imperandi non raro accusativum cum infinitivo passivo posuit: ,cum cervicem noxio imperabo praecidi.' Ir. I. 16, 5. III. 19, 3. 19, 4.

impetrare: ,quare potius a fortuna impetrem, ut det, quam a me, ne petam?' Ep. 15, 12 — ,Itaque quoniam ego ab illa non impetro, ut me fortius amet, impetrat illa, ut me diligentius amem.' Ep. 104, 2.

imprecari: ,illud scito, — nulli te posse imprecari quicquam gravius, quam si imprecatus fueris, ut se habeat iratum.' Ep. 110, 2.

instare: ,hoc saepe dilatum, ut aliquando fieret, instabat.' Cl. II. 1, 2. Ben. II. 21, 6 — cf. Draeg. p. 262.

invitare: ,si ut prodessemus, sola nos invitaret utilitas, minime beneficia distribuere deberent . . .' Ben. IV. 3, 2.

laborare: ,laboravit enim semper (sc. sapiens), ut in se plurimum poneret, intra se omne gaudium peteret.' Helv. 5, 1.

Infinitivum legi Ep. 124, 1: ,quod ne nunc quidem fieri laborabo.' cf. Draeg. p. 261.

malle: ,Malo, ut patria exsilio meo erubescat quam reditu maereat.' Ben. VI. 37, 2.

mandare: ,mandant suis, ut e convivio auferantur.' Ir. III. 13, 5 — ,si haec mihi perscripseris, tunc tibi audebo mandare, ut in honorem meum Aetnam quoque adscendas.' Ep. 79, 2.

Infinitivus: Ben. VII. 22, 1.

merere: ,quia occidit ille, meruit, ut hoc pateretur: tu quid meruisti, miser, ut hoc spectes?' Ep. 7, 5.

Ad hunc locum cf. Rossb. [1]) p. 39 annot. 14, qui

---

[1]) De Senecae philosophi librorum recensione et emendatione scripsit Otto Rossbach. Breslau 1888. Quid de hoc libro Gertz sentiat. exponit in ,Berl. Phil. Wochenschrift' IX. p. 372—376, 402—408.



verba ,meruit ut suspendatur' deleri merito iudicat. ,Rectissime haec quoque verba, quae nisi in paucis codicibus recentioribus non reperiuntur, Woltersius p. 34 eiecit.'

Eadem verba Lud. de Jan delenda esse censuit. cf. Fickert.

,Mereo ut findet sich in allen Zeiten, aber selten.' Draeg. 257.

Infinitivum Seneca scripsit Ir. I. 17, 6. Ep. 93, 10. Cl. I. 6, 3 cf. Cl. I. 5, 6.

monere (sexies): ,Sed monet me locus, ut quaeram, cum fatalis dies diluvii venerit, quemadmodum magna pars terrarum undis obruatur.' N. Q. III. 27, 1.

Ep. 24, 16 infinitivum scriptum legimus: ,Quod facere te moneo.'

admonere (novies): ,admonebatur (sc. Alexander), ut a veneno Philippi medici caveret.' Ir. II. 23, 2. Cl. I. 20, 2.

monstrare: ,Non sum tibi illa monstraturus, quibus usos esse multos scio, ut peregrinatione te vel longa detineas vel amoena delectes, ut rationum accipiendarum diligentia, patrimonii administratione multum occupes temporis, ut semper novo te aliquo negotio implices.' Helv. 17, 2 — ,medicus tibi quantum ambules, quantum exercearis, monstrabit; ne indulgeas otio, ad quod vergit iners valetudo, ut legas clarius et spiritum, cuius iter ac receptaculum laborat, exerceas, ut naviges et viscera molli iactatione concutias.' Ep. 78, 5 — Iam cum scriptor, postquam, quid medicus monstraturus esset, exposuit, dicere pergat: ,ego tibi illud praecipio' —, sequi videtur, ut verbum monstrandi idem atque verbum praecipiendi exprimat.

,pauperi, ut agat divitem, monstras.' Ep. 94, 6 — Etiam hoc loco, quid ,monstras' significet, explicari videtur verbis, quae brevi post sequuntur: ipsa (vitia) removenda sunt, non praecipiendum, quod fieri illis manentibus non potest.

cf. Plaut. Menaechm. 789: quotiens monstravi tibi, viro ut morem geras.

obtinere: ,vix a me obtineo, ut hoc vehiculum velim videri meum.' Ep. 87, 4 — ,non obtinebis, ut desinat (sc. vitium), si incipere permiseris.' Ep. 116, 2 — cf. Draeg. p. 239: ,Obtinere schon oben aus Plautus citiert, findet sich mit ut erst wieder bei Liv. — Suet. Claud. 41.'

optare (vicies sexies): ,Nescio, utrum sibi peius optaverit, ut odio esset an ut timori.' Ir. I. 20, 4 — ,opta, ut reddere mihi beneficium possis, cum opus erit, non ut opus sit.' Ben. VI. 28, 3 — ,Callistratum aiunt — optante quodam ut Atheniensibus necessitas restituendi exsules esset, abominatum talem reditum.' Ben. VI. 37, 1 — ,Sed non est, quare cuiquam, quem poena putaveris dignum, optes, ut infestos deos habeat.' Ep. 110, 2 — Seneca cum verbo optandi etiam infinitivum et accusativum cum infinitivo coniungit, in quo usu a scriptoribus aureae latinitatis non discrepat.

orare: ,quid si imperator deos oret, ut magna vis hostium circumfusa castris fossas subito impetu compleat?' Ben. VI. 25, 4.

exorare: ,Non sunt ad caelum elevandae manus nec exorandus aedituus, ut nos ad aurem simulacri, quasi magis exaudiri possimus, admittat.' Ep. 41, 1.

perficere: ,nondum perfecimus, ut pessimi essemus.' N. Q. VII. 31, 1.

pati: ,neque enim rerum natura patitur, ut umquam bona bonis noceant.' Prov. 1, 5.

cf. Draeg. 253: es ,finden sich seit den Classikern vereinzelte Stellen mit ut, wenn der Hauptsatz negativ ist.' Atque ,non pati ut' mea quidem opinione idem fere atque ,id agere, ne' significat.

Saepissime apud Senecam Acc. cum Inf. ad hoc verbum ex usu communi positum invenimus.

persuadere (quater): ,Utinam quidem persuadere possemus, ut pecunias creditas tantum a volentibus acciperent!' Ben. III. 15, 1 — ,Illud enim neque ut credam mihi persuaderi potest neque ut taceam.' N. Q. V. 4, 2 — ,Quid non potest mihi persuaderi, cui persuasum est, ut

navigarem.' Ep. 53, 1 — ,nec difficulter mihi, ut inciperem melius cenare, persuasit.' Ep. 108, 22.

Constructio non usitata invenitur Cl. I. 12, 1: ,non reges quoque occidere solent? sed quotiens id fieri publica utilitas persuadet.' Praeterea vide: ,Hoc quoque quaerentibus remittamus, quis Romanis primus persuaserit navem conscendere.' Brev. v. 13, 4.

petere (octies): ,petit, ut sententiam suam quisque scriberet.' Cl. I. 15, 4 — ,confugit ad Caesaris pedes nihil aliud petiturus, quam ut aliter periret, ne esca fieret.' Ir. III. 40, 3.

praecipere (quinquies): ,ut fortiter — pateremur, praecepimus nobis.' Ep. 70, 18 — ,longissimis orationibus hoc praecipitur, ut homines in animo, non in patrimonio putent esse divitias.' Ep. 108, 11.

Infinitivus legitur: Vit. b. 8, 1: ,praeceperunt veteres optimam sequi vitam, non iucundissimam.'

praestare (octies decies): ,nihil magis praestandum est, quam ut memoria nobis meritorum haereat.' Ben. II. 24, 1 — ,Hoc tibi, etsi mari dividimur, praestare temptabo, ut dubium viae iniecta manu ad meliora perducam.' N. Q. IV. praef. 20 — ,nihil illo carcere (sc. crypta Neapolitana) longius, nihil illis facibus obscurius, quae nobis praestant, non ut per tenebras videamus, sed ut ipsas.' Ep. 57, 2.

providere: ,Sed ante satis abundeque provisum est, ut ab insidiis tutus essem.' Ep. 88, 16.

rogare (c. vicies): ,C. Caesar Pastoris splendidi equitis Romani filium cum in custodia habuisset mundiciis eius et cultioribus capillis offensus rogante patre, ut salutem sibi filii concederet, quasi de supplicio admonitus duci protinus iussit.' Ir. II. 33, 3 — ,Tiberius Caesar rogatus a Nepote Mario praetorio, ut aeri alieno eius succurreret, edere illum sibi nomina creditorum iussit.' Ben. II. 7, 2.

sequi (im Auge haben): ,in his (sc. quibusdam beneficiis) sequemur, ut opportunitate grata sint.' Ben. I. 11, 5 — ,Hoc enim ipsum secuti sunt, qui nullam legem

huic constituerunt, ut circumspectius donaremus, circumspectius eligeremus eos, in quos merita conferuntur.' Ben. III. 14, 1. cf. I. 22, 1.

servare: ,Hoc semper in omni animadversione servabit, ut sciat alteram adhiberi, ut emendet malos, alteram ut tollat.' Ir. I. 19, 7. cf Draeg. 240.

sollicitum esse: ,incurrit de hoc sollicitus tantum, ut litaret.' Ep. 67, 9 — ,sollicitus est, ut ea, quibus delectatur, ad extremum usque permaneant.' Ep. 98, 6 — ,iecitque se in praeceps (sc. Horat. Cocles) et non minus sollicitus in illo rapido alveo fluminis, ut armatus quam ut salvus exiret — tutus rediit.' Ep. 120, 7.

In his enuntiatis eandem constructionem usurpari quam post verba curandi, non illam quam post verba timendi invenire consuevimus existimo. — Coniunctionem ne legi: Ep. 84, 11: ,tam sollicita res est (sc. ambitio), ne quem ante se videat, quam ne post se.'

suadere (septies): ,virtus suadebit, ut sis immobilis.' Vit. b. 16, 1 — ,existimas me suasurum, ut meliora tibi ipse proponas.' Ep. 24, 1 — ,Suasit illi Satellius Quadratus, — ut grammaticos haberet analectas.' Ep. 27, 7.

Infinitivus legitur Ep. 109, 15: ,virtus autem suadet praesentia bene conlocare, in futurum consulere, deliberare et intendere animum.' Ir. III. 32, 3. Cl. I. 12, 4. Ep. 24, 4. Ep. 19, 2. Ep. 67, 10.

studere: ,stude non ut plus aliquid scias, sed ut melius.' Ep. 89, 23.

sperare: ,ut quidem nullum (sc. dolorem) omnino esse eum patiatur, nec sperandum nec concupiscendum est.' Pol. 18, 6.

A Draegero praeter hunc locum tres alii afferuntur, in quibus ,spero ut' invenitur: Liv. XXXIV. 27, 3. Sen. Contr. 4, 25. Iust. V. 3, 3 — ,Concupiscere ut' numquam ab ullo scriptore usurpatum est.

velle: ,Numquid vis amplius, quam ut me similem ducibus meis praestem?' Ot. I. 5.

Post verba voluntatis Seneca non raro modum coniunctivum omissa coniunctione ut

usurpavit: ,Saepe illum Caesar monuit, moderatius lingua uteretur.' Ir. III. 23, 5. Ep. 120, 6 — ,saepe admonendus est animus, amet ut recessura, immo tamquam recedentia.' Marc. 10, 3 — ,obtineamus ab illa (fortuna), hunc principem sibi esse sacratum velit.' Pol. 16, 6 — ,deos oro, contingat hunc habere nobis superstitem.' Helv. 18, 6 — precaturque, illi pro se gratiam reddant.' Ben. IV. 11 — ,Rogo itaque, permittas mihi hoc verbo uti.' Ep. 58, 6. cf. non vis admoneam? Ir. III. 4, 5. Etiam verbum sinendi coniunctivus sequitur: ,Sine id tempus veniat, quo ipsi iubeamus.' Ir. III. 32, 2.

Quae verba finalia apud Senecam infinitivus sequatur, exposui. Id reliquum est, ut etiam cum verbo adigendi infinitivum coniungi adnotem. cf. Ir. II. 36, 6. Vit. b. 15, 7 — Praeterea post verbum permittendi (alicui) Seneca semper infinitivum usurpavit, quam verborum conexionem apud omnes scriptores in usu fuisse Draeger p. 250 recte nos docet.

B) Non multae sunt phrases ex substantivo et verbo aliquo compositae, quas apud Senecam ut coniunctio sequitur:

operam dare (decies): ,omnem operam dedi, ut me multitudini educerem et aliqua dote notabilem facerem.' Vit. b. 2, 3 — ,in amicorum legendis ingeniis dabimus operam, ut quam minime inquinatos adsumamus.' Tranq. an. 7, 4 — ,danda opera erat, ut magis gauderes, quod habueras, quam maereres, quod amiseras.' Ep. 99, 3.

curae esse: ,Ut quidem habeat, quod a me accepit, iam ulterioris est curae.' Ben. VII. 19, 2.

Infinitivus invenitur Ir. II. 35, 5: neque enim illi se tegere curae est. cf. N. Q. I. 17, 7: ,cura comere capillum fuit ac prominentem barbam depectere.'

curam habere: ,Stoici virilem ingressi viam non ut amoena ineuntibus videatur, curam habent, sed ut quamprimum nos eripiat et in illum editum verticem educat, qui adeo extra omnem teli iactum surrexit, ut supra fortunam emineat.' Const. s. 1, 1.

curae habere: ,habebo itaque curae, ut te meliorem tibi reddam quam accepi.' Ben. I. 8, 2.

dare praeceptum: ,quae damus praecepta? ut parcamus sanguini humano?' Ep. 95, 51.

,misericordiae et humanitati dedi, ut quodlibet cadaver absconderem.' Ben. V. 20, 5.

Dubitari potest de ep. 90, 5, quem locum plurimi libri ita exhibent: nihilque maius minari male parentibus (rex) posset, quam ut abirent e regno; in codice vero Bambergensi, qui in II. epistularum parte optimus iudicatur, legimus: ,ut abiret e regno.' Sed in utraque forma latet difficultas. Verba enim ,ut abirent' non exprimunt id quod rex mea quidem opinione minatur, constructio vero ,minari ut abiret e regno' (dass er die Herrschaft niederlegen wolle) consuetudini dicendi latinae parum videtur respondere. — Itaque Gemoll[1]) p. 17 scribendum esse censet: ,iam abire se regno.' At in hac quoque coniectura infinitivus praesentis aliquid habet offensionis. — Equidem verba codice B tradita aliis praefero. Neque enim mirum esse arbitror, quod Seneca post verbum minandi eadem coniunctione atque post verba exspectandi, sperandi similiaque hoc loco usus sit, ut id, quod rex minans optaret, exprimeretur: Der König sprach drohend den Wunsch aus, die Herrschaft niederzulegen.

Cap. II.

De particula ne.

Ne particula temporibus antiquissimis saepius et communius quam aetate aureae et argenteae latinitatis ad aliquid negandum est usurpata. cf. Hand IV. p. 29 ss. Bréal p. 211. Forcell. — Atque id commemorandum iudico particulam ne ex nei ortam esse. Bréal 212. Vaniček

---

[1]) Adnotationes crit. in L. Annaei Senecae epist. mor. scr. G. Gemoll. Kreuzburg. 1886.

I. 419, cf. Wordsworth p. 172: Nei quis eorum Bacanal habuise velet. Senatus cons. de Bacch. — In eodem autem consulto etiam ne et ne quis scriptum est. Iam ut omittam, quae ex monumentis litterarum atque libris antiquissimis de usu significationeque particulae cognovimus, et apud ceteros scriptores posteriores et apud Senecam triplicem usum distingui videtur consentaneum. Primo enim ne particulam in principalibus enuntiatis (Hauptsätzen) cum coniunctivo et imperativo ita consociatam invenimus, ut significet prohiberi, ne quid fiat. Secundo in enuntiatis secundariis in coniunctionis vicem cedens adhibetur, ut exprimat ‚aliquid negatione tolli, quod vel in consilio vel in mandato vel in votis est situm.' Tertio ne usitatissima est particula interrogativa. De cuius quidem particulae encliticae origine et natura quid sentiam, postea exponam.

§ 1.

De usu particulae ne ad coniunctivum enuntiatorum principalium et imperativum positae.

I. Particula ne ad coniunctivum adhortativum posita est:

‚utique nobis ne irascamur.' Const. s. 28, 4. cf. Ep. 14, 9 (nihil idem concupiscamus — nihil habeamus). Ep. 107, 6 — 65, 24.

II. Ad coniunctivum imperativum positam invenimus et 1. quidem ad praesentis coniunctivum imperativum A) tertiae personae:

‚Ne sint aures criminantibus faciles.' Const. s. 22, 3 — ‚ne perperam monitiones nostras exaudiat.' Ben. I. 15.

B) secundae personae:

‚si magnus vir cecidit, magnus iacuit, non magis illum putes contemni, quam cum aedium sacrarum ruinae calcantur.' Helv. 13, 8 — Ab Haasio Helv. 12, 1 post vocabulum ‚sapientum' falsa fit interpunctio, cum verba ‚primum aspice' enuntiatio principalis intel-

legenda sit: Ne me putes ad elevanda incommoda paupertatis — uti tantum praeceptis sapientum, primum aspice.

2. Saepe ad coniunctivum imperativum perfecti particulam ne positam videmus: ‚Non vis esse iracundus? ne fueris curiosus.‘ Ir. III. 11, 1 — ‚Ne, obsecro te, concupieris perversissimam gloriam infelicissima videri.‘ Marc. 5, 5 — ‚ne submiseris te.‘ Marc. 5, 6 — ‚ne itaque invideris fratri tuo: quiescit.‘ Pol. 9, 7 — ‚ne commiseris, ut quisquis exemplo ac modo scripta tua mirabitur, quaerat, quomodo tam grandia tamque solida tam fragilis animus conceperit.‘ Pol. 11, 6 — cf. Ben. I. 2, 4. B. II. 23, 1. B. V. 20, 6. N. Q. I. 3, 3. Ep. 123, 11.

Ad coniunctivum imperativum et praesentis et perfecti apud Senecam ex more usitato vocabula ‚nihil, numquam, nemo,‘ ponuntur. ‚nemo haec ita interpretetur, tamquam reducam liberalitatem et frenis artioribus reprimam.‘ B. I. 14, 2 — ‚Itaque secundis nemo confidat, adversis nemo deficiat.‘ N. Q. III. praef. 7 — ‚numquam credideris felicem quemquam ex felicitate suspensum‘ (der abhängt). Ep. 98, 1 — ‚nihil dubitaveris.‘ N. Q. VI. 32, 6 — Ben. III. 28, 3. VII. 17, 2 – VII. 26, 2.

In locis, quos sum allaturus, Seneca non et nec pro usitatis particulis ne et neve usurpavit: ‚Non splendeat toga, ne sordeat quidem.‘ Ep. 5, 3 — ‚non abhorreat a publicis moribus nec hoc agat, ut, quicquid non facit, damnare videatur.‘ Ep. 103, 5 – neque di neque deae faciant, ut te fortuna in deliciis habeat.‘ Ep. 96, 4. cf. Tranq. an. 14, 2. N. Q. VI. 32, 6. Epp. 15, 7 — 15, 8. 25, 2. 33, 7. 74, 18.

Madv. § 456 A. 2, § 459 A. Zumpt. § 529 ab ipso Cicerone nonnullis locis particulas non, nec pro ne, neve positas esse edocent. — De usu Liviano cf. Kühnast p. 227 et p. 375.

In editione Teubneriana Tranq. an. 4, 1 legitur: ne ego negaverim (ich möchte nicht leugnen) et Ir. II. 11, 2: ne hoc sapienti adici velim. — In utraque sententia ne in nec mutandum esse censeo. Nam 1. ne particulam ad coniunctivum poni potentialem, quem in

altero quoque enuntiato esse intellego, ab usu Annaeano alienum est. 2. Facile littera c neglegi et excidere potuit. (cf. Gertz.)

Pol. 6, 3 legitur: Si volebas tibi omnia licere, ne convertisses in te ora omnium: Wolltest du, dass dir alles gestattet sei, so hättest du die Blicke aller nicht auf dich hinrichten sollen, in qua sententia verbum curandi vel cavendi videtur supplendum.

III. Ne particulam ad imperativum numquam fere a Seneca positam inveni:

Ne repugnate vestro bono. Const. s. 19, 4.

Saepe Seneca ad imperativum negativum significandum ‚noli, nolite' adhibuit: ‚Noli huic tranquillitati confidere, momento mare evertitur.' Ep. 4, 7 — ‚sumite modo animum qualem docet et deficere nolite.' Ben. III. 36, 3.

§ 2.

De ne particula in sententiis pendentibus ita usurpata, ut vicem coniunctionis expleat.

I. Ne centies sexagies ad consilium seu intentionem exprimendam a Seneca ita adhibetur, ut enuntiatum finale adverbialem sententiae primariae determinationem appellare possimus.

‚Ne singulis irascaris, universis ignoscendum est.' Ir. II. 10, 2 — ‚ne forte inepta spe tibi blandiaris, duci te iussi.' Tranq. an. 14, 4 — ‚ne epistulas quidem post eam horam legebat, ne quid novae curae nasceretur.' Tranq. an. 17, 7 — ‚dolori tuo, dum recens saeviret, sciebam occurrendum non esse, ne illum ipsa solacia inritarent et accenderent.' Helv. 1, 2 — ‚Quare ergo dat? ne non det, ne occasionem benefaciendi perdat.' Ben. IV. 12, 5 — ‚Video ferrum ex isdem tenebris esse prolatum, quibus aurum et argentum, ne aut instrumentum in caedes mutuas deesset aut pretium.' Ben. VII. 10, 2 — ‚ne quis intepescat cibus, ne quid palato iam calloso parum ferveat, cenam culina prosequitur.' Ep. 78, 23 — ‚Putas utile dari

tibi argumenta, per quae intellegas nobilem equum, ne fallaris empturus, ne operam perdas in ignavo.' Ep. 95, 67 — ,vir in hoc natus, ne urbi Romanae aut Scipio deesset aut Carthago superesset.' Pol. 14, 5 — ,fortuna (Sextum Pompeium) in hoc erexerat, ne minus alte eum deiceret, quam patrem deiecerat.' Pol. 15, 1 — ,ne sit quandoque velut in novo opere dura molitio, olim ad hoc maria se exercent.' N. Q. III. 30, 1 — ,ad hoc unum contumax fui, ne beneficiis vincerer.' Ben. III. 38, 2.

II. Enuntiata loco substantivi alicuius posita.

A) Ne pendet a verbis optandi, rogandi, suadendi, monendi, exigendi, curandi, praestandi, imperandi, efficiendi. Quae verba, ut magis utilitati serviam, ordine alphabetico afferam atque phrases quasdam ex substantivo et verbo aliquo compositas adiciam.

id agere: ,id agendum existimavit, ne cui Catonem aut occidere liceret aut servare contingeret.' Ep. 24, 6 — ,modo regnare vult, modo id agit, ne quis sit officiosior servus.' Ep. 120, 21. cf. Tranq. an. 1, 13. Ben. IV. 21, 1. Ep. 107, 4.

consequi: ,quidam, ne umquam riderent, consecuti sunt.' Ir. II. 12, 4 — ,ne in piratarum manus pervenirent, quidam naufragio consecuti sunt.' Ben. VI. 9, 2 — ,sic vivendo quid consequeris? non ne noceant, sed ne fallant.' Ep. 103, 4. cf. Ep. 17, 3.

convenire (übereinkommen): ,non praestas fidem; convenerat, ne interloquereris.' Cl. 9, 9 — ,si — convenerit inter nos, ne alter alterum interroget.' N. Q. I. 1, 2.

curare: ,in pestilentia curandum est, ne correptis iam corporibus et morbo flagrantibus adsideamus.' Tr. an. 7, 4.

deprecari: ,deprecari, ne exsules essent.' Helv. 9, 6.

efficere: ,hic suis lacrimis effecit, ne ullis dignus sit.' Tr. an. 16, 4 [1]).

---

[1]) Gertz contra auctoritatem codicum ,ullius' scribendum esse censet: propterea quod ,requiritur genetivus, qui „suis" e regione ponatur.' Sed oppositio optime etiam ablativo ,ullis' significatur.

,Diogenes effecit, ne quid sibi eripi posset.' Tr. an. 8, 4 — ,tu quidem tot nepotes pronepotesque dando effecisti, ne unica esses.' Helv. 18, 9 — ,Quae ad nos pervenerunt, ne sint, effici potest, ne fuerint, non potest.' Ben. VI. 2, 2. cf. Ir. II. 31, 8. Marc. 13, 1. Ben. VI. 2, 3. 4, 2. 4, 4. 9, 2. 33, 2. Ep. 88, 7. 92, 15. 94, 74.

exigere: ,numquam autem ego a te, ne ex toto maereas, exigam.' Vit. b. 18, 5 — ,hoc a me exige, ne velut per tenebras aevum ignobile emetiar, ut agam vitam, non ut praetervehar.' Ep. 93, 7.

exhortari: ,illo nunc revertor, ut te moneam et exhorter, ne patiaris impetum animi tui delabi et refrigescere.' Ep. 16, 6.

hortari: ,cum — rem publicam hortetur, ne pro libertate decidat.' Ep. 95, 70.

impetrare: ,quare potius a fortuna impetrem, ut det, quam a me, ne petam?' Ep. 15, 12.

laborare: ,quocumque modo mihi laborandum est, ne isti obligatus sim.' Ben. VI. 35, 4 — ,At quanta cura laboratur, ne cuius pantomimi nomen intercidat.' N. Q. VII. 32, 3. cf. Ep. 108, 27.

meditari: ,Omnibus omissis hoc unum, Lucili, meditare, ne mortis nomen reformides.' N. Q. VI. 32, 12.

monstrare cf. p. 36.

observare: ,illud praeterea iudico observandum, ne duo, quae separatim probanda sunt, misceamus.' Ep. 85, 17.

operari: ,omnibus aliis renuntiavit officiis huic uni imminens et operatus, ne qua se fugeret occasio.' Ben. VII. 14, 6.

operam dare: ,dedisti operam, ne quid esset, quod in te quisquam reprehenderet.' Marc 4, 3. cf. Ep. 61, 3. Ir. II. 21, 1. Ir. III. 8, 1. Pol. 13, 3.

monere, admonere: ,nemo tam stultus est, ut monendus sit, ne cui gladiatores aut venationem iam munere edito mittat et vestimenta aestiva bruma, hiberna solstitio.' Ben. I. 12, 3. cf. Ep. 24, 24 — ,admone istum, ne postea tam improbe oscitet.' Helv. 13, 7 — ,hoc unum

te admoneo, ne istud tantum existimes de divitiis dictum.' Ep. 21, 8.

optare: ,optaverat, ne Caesar salvus rediret.' Ben. III. 27, 1.

orare: ,si esse vis felix, deos ora, ne quid tibi ex his, quae optantur, eveniat.' Ep. 31, 2.

persuadere: ,persuadebo deinde tibi, ne umquam boni viri miserearis.' Prov. 3, 1 — ,nihil magis persuasi mihi, quam ne ad opiniones vestras actum vitae meae flecterem.' Vit. b. 26, 4 — ,Uno modo istis persuadebimus, ne beneficia sua insolentia perdant.' Ben. II. 13, 3.

petere: ,hoc primum a te peto, ne me loquentem interpelles, ne medio sermone meo proclames.' Cl. I. 9, 7. cf. Ep. 97, 6.

in potestate esse (possum efficere): ,ne a servo acceperis, in tua potestate est' — du kannst bewirken, dass du die Wohlthat nicht von einem Sklaven empfangen hast (indem du ihn für frei erklärst). Ben. III. 22, 4.

praecipere: ,Pyrrhum maximum praeceptorem certaminis gymnici solitum aiunt iis, quos exercebat, praecipere, ne irascerentur.' Ir. II. 14, 3 — cf. Ep. 13, 4.

praestare: ,Ne irascamur, praestabimus, si omnia vitia irae nobis subinde proposuerimus et illam bene aestimaverimus.' Ir. III. 5, 3 — ,nihil ergo magis praestandum est, quam ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem pergentes non quo eundum est, sed quo itur.' Vit. b. 1, 3 — Ot. 4, 2. cf. 4, 2. Tr. an. 11, 6. Ben. V. 3, 2. Ep. 105, 4.

prospicere: ,ne quis insepultus esset, rerum natura prospexit.' Ep. 92, 35.

providere: ,provisum est a me, ne quis mihi ater dies esset.' Vit. b. 25, 3 — ,horum providentia, ne quid deesset suis, providebat.' Ep. 90, 5. Ep. 45, 5. Ep. 71, 10.

rogare: ,rogo, ne me ingratum existimes.' Ben. V. 22, 1.

suadere: ,quid haec tibi suadebit? ne quid aut bonum aut malum existimes, quod nec virtute nec mali-

tia continget.' Vit. b. 16, 1 — ,suadebit tibi (sc. philosophia), ne ad calculos sedeas.' Ep. 17, 2. Ben. IV. 39, 1.

s e q u i (bezwecken): ,hoc secuti sunt, qui omnibus mensibus paupertatem imitati prope ad inopiam accesserunt, ne umquam expavescerent, quod saepe didicissent.' Ep. 18, 6.

B) Ne sequitur verba c a v e n d i.

c a v e r e: ,Ante omnia cavi, ne quis vos teneret invitos.' Prov. 6, 7 — ,utique cavebimus, ne munera supervacua mittamus, ut feminae aut seni arma venatoria aut rustico libros aut studiis ac litteris dedito retia.' Ben. I. 11, 6. — ,Et apud nos in duodecim tabulis cavetur, ne quis alienos fructus excantasset.' N. Q. IV. 7, 2 — ,cave et diligenter adtende, ne cum homine malo loquaris.' Ep. 10, 1. cf. Ben. IV. 38, 2. Ep. 14, 8. Ben. I. 10, 4.

c i r c u m s p i c e r e: ,aeque ex contrario circumspiciemus, ne, dum grata mittere volumus, suum cuique morbum exprobratura mittamus, sicut ebrioso vina et valetudinario medicamenta.' Ben. I. 11, 6.

c u s t o d i r e: ,Primum, ut citius desinat, efficit (sc. remedium); deinde custodit, ne recidat.' Ir. III. 39, 3.

e v i t a r e: ,evitemus omni modo, ne deliberasse videamur.' Ben. II. 1, 2.

Cum verbo v i t a n d i i n f i n i t i v u m coniunctum inveni Brev. v. 14, 4. Ep. 81, 22. 114, 4. cf. Draeg. p. 338.

C) Ne ponitur post verba i n t e r d i c e n d i et p r o h i b e n d i.

i n t e r d i c e r e: ,interdixit, ne fortunam accusarent, quae sibi filios Gracchos dedisset.' Helv. 16, 6.

I n f. legitur Ep. 116, 1: ,cum tibi cupere interdixero, velle permittam.' Vit. b. 18, 3: ,cum sibi interdixerit habere, interdixit et poscere.' (sc. Demetrius Cynicus.) cf. Madv. § 396 A. 1.

p r o h i b e r e: ,Quemcumque potuero, peccare prohibebo, multo magis amicum et ne peccet et ne in me potissimum peccet.' Ben. V. 22, 2.

In uno enuntiato ‚prohibere ne' apud Senecam inveni, qui vicies quinquies infinitivum vel accusativum cum inf. cum illo verbo coniunxit, quam constructionem apud ipsos aureae latinitatis scriptores (Caesarem) in usu fuisse constat. Unum alterumve exemplum Annaeanum afferam: ‚quid enim prohibet referre gratiam prosperis rebus?' Ben. VI. 29, 2 — ‚aut beatum praestare debet (sc. virtus) aut, si ab hoc depulsa es, non prohibebit fieri miserum.' Ep. 92, 26.

‚Praeterea ne aliis quidem tunc prodesse prohibetur, cum illum aliquae necessitates premunt.' Ep. 85, 38 — cf. N. Q. II. 13, 2. II. 26, 2.

Cl. I. 17, 1 in omnibus fere codicibus legitur: ‚mali medici est desperare, ne cures,' quae ultima verba Fickert recepit. Sed cum constructio omnino sit singularis atque ipsa interpretatio dura et contorta (es ist dem schlechten Arzte eigenthümlich zu verzweifeln, dass man heilt), illa verba pessimum aliquod glossema esse existimo. cf. editio Teubn., in qua verba uncis inclusa sunt.

D) Ne coniunctio quinquagies fere post verba timendi usurpatur.

timere: ‚timuit ne quam liberiorem vocem extremus dolor mitteret, ne quid, quod nollet, audiret.' Ir. III. 19, 3 — ‚timebam, ne a me victa fortuna aliquem meorum vinceret.' Helv. 1, 1 — ‚timeamus, ne velut intolerabili sarcina depressi deficiamus animo?' Ben. II. 35, 3 — ‚Non est, quod timeas, ne operam perdideris, si tibi didicisti.' Ep. 7, 9 — ‚non timeo, ne mutent te, timeo, ne impediant.' Ep. 32, 2.

extimescere: ‚ego extimescam emotum sedibus suis mare et ne aestus maiore quam solet cursu plus aquarum trahens superveniat?' N. Q. VI. 2, 5.

vereri: ‚Alius aiebat — magis verendum, ne vacuas desertasque urbes invenirent.' Ben. VI. 31, 2 — ‚Soleo, mi Liberalis, notare hunc in te adfectum et quasi manu prendere verentis et aestuantis, ne in ullo officio sis tardior.' Ben. VI. 42, 1 — ‚sine dubio verendum est, ne quando in muscipula syllabas capiam aut ne quando,

si neglegentior fuero, caseum liber comedat.' Ep. 48, 6 — ,verebar, ne haec non consolatio esset, sed exulceratio.' Helv. 1, 3.

Quinquies decies Seneca formula dicendi ,vide ne' (siehe zu, dass nicht, hüte dich, dass) usus est, quae interdum adverbium ,vielleicht' adaequat. ,vide ne istud amplius facias, nunc tibi ignosco.' Ir. III. 36, 3 — ,vide ne inimicis iracundia tua voluptati sit.' Ir. III. 40, 1 — ,vide ne magnitudo animi tui creditumque apud plerosque robur cadat.' Ir. III. 40, 1. cf. Tr. an. 14, 7. Ep. 10, 4 — ,vide ne hoc et verius sit et magnitudini bene facientis aptius.' Ben. I. 2, 2 — ,vide ne hoc magis deceat magnitudinem mundi.' N. Q. VII. 24, 2 — ,vide ergo ne hoc praecipi salubriter possit' (eine heilsame Vorschrift dürfte wohl diese sein). Ep. 10, 5.

Semel inveni: videamus ne = hüten wir uns: ,videamus ne ista, per quae admirationem parare volumus, ridicula et otiosa sint.' Ep. 5, 4.

dispice ne legitur Pol. 18, 4: ,Sed tamen dispice, ne hoc iam quoque ipsum sit supervacuum' (dürfte überflüssig sein).

Hoc loco afferenda est phrasis: periculum est: ,est quidem periculum, ne porrigentem trahat.' Ep. 29, 4 — ,nec virtuti periculum est, ne admota oculis revilescat.' Tr. an. 17, 2. cf. Pol. 12, 3. Cl. I. 1, 7. Ben. III. 11, 2.

E) Restat, ut nonnullas enuntiationes afferam, in quibus ne coniunctio ad explicandum aliquod substantivum (adiectivum, pronomen), in quo verbum latet praecipiendi, curandi simileve, adhibita est. — ,Demetrio si res nostras aliquis deorum possidendas velit tradere sub lege certa, ne liceat donare, adfirmaverim repudiaturum.' Ben. VII. 8, 3. ,Proximum ab his erit, ne aut in supervacuis aut ex supervacuo laboremus, id est, ne quae aut non possumus consequi, concupiscamus aut adepti vanitatem cupiditatium nostrarum sero post multum pudorem intellegamus, id est, ne aut labor inritus sit sine effectu aut effectus labore indignus.' Tr. an. 12,

1 — ,est rursus multum in eo, ne indigno beneficium des.' Ben. IV 36, 2. cf. ,si lex lata erit, ne id quisquam faciat.' Ben. IV. 35, 1 — ,nec poterat lex casuris imbribus dici, ne in malorum improborumque rura defluerent.' IV. 28, 3.

Neve apud Senecam nusquam inveni, qui, si duae sententiae finales sunt negandae, in altera aut ,nec' aut ,et ne' aut ,ne' copulativa particula non addita posuit. Tr. an. 14, 1. Ep. 103, 5. Ben. I. 4, 2 — Ben. V. 22, 2. cf. Ir. II. 18, 1 — Ir. III. 19, 3 Ep. 14, 10. 84, 11.

In Ep. 123, 7 cum Fickerto ,ne sol, ne frigus' scribere malim. Nam etsi vocabulum neve aliqua codicum auctoritate commendatur, tamen omnino dubium iudicandum est atque consuetudini dicendi Annaeanae parum respondet.

De Cl. II. 4, 4 cf. Rossbach p. 19.

Nonnumquam post verba finalia ,ut non' usurpatur: ,nunc admoneo, ut animum tuum non mergas in istam sollicitudinem.' Ep. 24, 16. cf. N. Q. VII. 1 a. 1.

Apud scriptores aureae latinitatis ne quis, ne quisquam, ne ullus pro ut nullus etc. legere consuevimus. cf. Madv. § 456. Quamquam apud Senecam nonnullis locis ,ut nullus etc.' legimus, non est, cur offendamur, cum hanc dicendi rationem, ut negatio magis efferatur vel ad unum verbum adiciatur, ab illo usurpatum esse recte dici possit. cf. Helv. 2, 5 — Tr. an. 7, 4. Ep. 67, 4. 107, 4.

Nonnumquam ,dummodo — non, utinam — non' in Senecae libris legi. cf. Tranq. an. 14, 1. Ben. V. 2, 1. Ep. 48, 9.

§ 3.

De ne particula interrogativa.

Utrum particula interrogativa (*nĕ*) eiusdem sit originis atque particula negativa (*nē*), homines docti in contrarias discedunt sententias. Is quidem, qui ultimus lexicon Forcellinianum edendum curavit, particulas a di-

versa origine ducendas esse ,plerosque recentiores negare' iudicat, cum Forcellinius ipse de particularum derivatione aliter senserit. Ut referam, quid a quibusdam scriptoribus, qui verborum explicant etymologiam, exponatur, Vaniček particulam et negativam et interrogativam ex eadem stirpe na (Sskrit) ductam esse affirmat atque allatis vocabulis, quae ex na (ne) aliisque vocibus compositae sunt, studet comprobare. Bréal autem haec scripsit: La particule interrogative *nĕ* est au fond identique avec la négation *nē*. Mais l'habitude de placer la négation dans les tours interrogatifs lui a donné la valeur d'un mot servant à questionner. On dit de même en français: Il ne vient pas? Cela ne se peut? (l. c. p. 211.)

Et Schmalzius [1]) § 155 cum iis, quorum sententiam exposui, consentit, item Keller lat. Etymol. p. 74.

Iam consideranti mihi, quae homines docti scripserint, videtur ,sub iudice lis esse.' Tamen magis mihi probatur sententia eorum, qui eiusdem originis esse particulas, quae procul dubio cognatione quadam inter se cohaerent, existiment. cf. Hand p. 73. Curt. Grundz.

Quibus particulis interrogativis Seneca sit usus, diligenter Naegler exposuit, in cuius libello loci omnes, qui particulam ne exhibent, collecti inveniuntur. Tres tantum locos referre omisit. Tr. an. 5, 1: ,poteratne illa civitas conquiescere, in qua tot tyranni erant, quot satellites essent?' — Ben. VI. 12, 1: ,Si quis sua causa nobis profuit, eine, inquis, debetur aliquid?' — Ep. 88, 39: ,Itane in geometriae pulvere haerebo?' (aliud eiusdem paragraphi exemplum Naegler attulit: itane est?) Pag. autem 28 (n. 7) pro Helv. 17, 6 scribendum est Helv. 12, 6.

Iam breviter ostendam, quem in modum a Seneca ne particula interrogativa sit usurpata.

I. Ne in interrogatione simplici et bis vicies quidem in recta, semel in indirecta interrogatione (Ir. III. 14, 2) invenitur.

---

[1]) Schmalz (J. v. Müller). Lat. Synt. 2. A. 1890.

Nonne in interrogatione recta ita vicies usurpatum legi, ut responsio expectetur affirmativa. cf. N. Q. I. Prol. 10. Ep. 29, 9.

II. In disiunctiva interrogatione particula ne ratione triplici est usurpata.

A) ne — an:

a) in interrogatione recta. Marc. 26, 2.

b) in interrogatione obliqua. N. Q. II. 1, 1. IV. praef. 18.

B) utrumne — an (decies):

a) in interrogatione recta. Marc. 12, 3. Vit. b. 23, 4. Pol. 9, 1.

b) in interrogatione obliqua. Ir. III. 1, 1. Ot. 4, 2. 5, 6. Pol. 6, 1. 6, 2. 9, 9. 11, 4.

C) + — ne.

Haec interrogationis disiunctivae forma bis in interrogatione indirecta invenitur. Vit. b. 24, 3. Ot. 4, 2.

Multo saepius Seneca pro ‚utrumne — an‘ scriptum legimus ‚utrum — an.‘ Naegl. l. c. De particulis utrumne — an cf. Draeg. p. 495.

Cap. III.

De quin et quo minus particulis.

§ 1.

De particula quin.

Quin ex ablativo modali qui et ne (non) exortum est, ex qua origine recte duplex ducitur significatio. ‚Da qui sowohl interrogativ wie relativ ist, so wird auch quin an beiden Bedeutungen theilnehmen.‘ Schmalz § 308. Et Plautus quin ad interrogationem veram atque propriam exprimendam adhibuit: quin cavisti, ne eam videret?

Warum hast du nicht verhütet? Merc. 189. Apud posteriores autem scriptores et aureae et argenteae latinitatis quin aut est particula exhortativa vel confirmativa (wohlan — ja vielmehr), quae ad indicativum et imperativum ponitur, aut est coniunctio, quae modum coniunctivum exigit. cf. Draeg. p. 663 (§ 527), Schmalz l. c.

I. A Seneca quater quin ad indicativum positum est:

‚Quin potius vitam brevem colligis placidamque et tibi et ceteris praestas? quin potius amabilem te, dum vivis, omnibus desiderabilem, cum excesseris, reddis?' Ir. III. 43, 1 — ‚quin tu bene gnaviter, si partium piget, transfugis potius quam prodis?' Ot. 1, 4 — ‚Quin potius eum potentem esse vis, cui plurimum debes?' Ben. VI. 30, 2.

His locis rhetoricae quas dicunt interrogationes continentur, quae exhortationes aliquas adaequant.

II. Quin coniunctionem apud Senecam non inveni nisi pendentem a verbo aliquo (vel phrasi) et id quidem septuagies fere a negativo verbo dubitandi (non dubito, non est dubium etc.); praeterea semel „vix temperant quin," semel „manifestius est quin" legitur.

non dubitare: ‚non dubito, quin citius patrem imitatus sit quam Platonem.' Ir. II. 21, 10 — ‚Nam de illis nemo dubitabit, quin operose nihil agant, qui litterarum inutilium studiis detinentur.' Brev. v. 13, 1 — ‚Num dubitas, quin se ille Marcellus tantus vir sic ad tolerandum aequo animo exsilium saepe adhortatus sit?' Helv. 9, 7 — ‚non dubitare autem se, quin senilis anima in primis labris esset nec magna vi distraheretur a corpore.' Ep. 30, 14 — ‚Quis dubitare, mi Lucili, potest, quin deorum immortalium munus sit, quod vivimus?' Ep. 90, 1 — cf. Marc. 5, 2. Cl. 15, 2. N. Q. II. 9, 2.

non esse dubium: ‚Iram quin species oblata iniuriae moveat, non est dubium.' Ir. II. 1, 3 — ‚Quid autem dubii est, quin haec maior materia sapienti viro sit animum explicandi suum in divitiis quam in paupertate' — Vit. b. 22, 1 — ‚Num dubium est, quin hoc humani ge-

neris domicilium circuitus solis ac lunae vicibus suis temperet?' Ben. IV. 23, 1 — ,nec dubium cuiquam relinquitur, quin arcus imago solis sit male expressi ob vitium figuramque speculi.' N. Q. I. 4, 1 — ,Ceterum mira fulminis, si intueri velis, opera sunt nec quicquam dubii relinquentia, quin divina sit illis ac subtilis potentia.' N. Q. II. 31, 1 — ,Illud non venit in dubium, quin se exemerit turbae et altius steterit, quisquis despexit lacessentes.' Ir. III. 25, 3 — ,vix sibi temperant, quin eo usque impudentiae provehantur, ut naturam oderint, quod infra deos sumus.' Ben. II. 29, 2 — ,Non tempero mihi, quin utar interdum temerarie verbis et proprietatis modum excedam.' N. Q. III. 18, 7 — manifestius est: ,Nam si quis coactus aliquid boni fecit, quin nos non obliget, manifestius est, quam ut ulla in hoc verba impendenda sint.' Ben. VI. 7, 2.

Rarissime quin post affirmativum verbum a scriptoribus latinis est usurpatum. „Auffällig ist, wie schon in der Zeit Cäsars (jedoch bestritten von Landgraf Unters. S. 90) im b. Alex. 7: ut alii morari Caesarem dicerent, quin naves conscendere iuberet, sich quin an einen affirmativen Satz anschließt; dies haben später Sen. phil. u. Tac. sowie Apul. auch angenommen.' Schmalz. § 308. — Draeger affert Tac. an. XIV. 29: quin ultra bellum proferret, morte prohibitus est. — Apul. met. IX. 20: tenebras sibi causabatur obsistere, quin clavem reperiret.

Cum verbo dubitandi et non dubitandi, quibus locis vox Germanica ,Bedenken tragen, kein Bedenken tragen' respondet, semper fere infinitivum Senecam coniunxisse animadverti — cf. Draeger. p. 340 d.

,Hos ego quare dubitem et sibi meliores et mihi facere?' Ben. V. 22, 1 — ,non dubitabo porrigere cervicem.' Ep. 82, 9 — ,mori dubitas.' Ep. 77, 13. cf. N. Q. VI. 31, 1 — 32, 6. Ep. 17, 7. 82, 9. 82, 21. 92, 7. 123, 11.

Semel verbum dubitandi, quamquam eadem significatione (Bedenken tragen) usurpatum est, quin sequitur: ,Ego dubitem, quin magis laudem truncam illam

et retorridam manum Mucii quam cuiuslibet fortissimi salvam?' Ep. 66, 51.

Itaque Draegero p. 340 Seneca non praetermittendus erat.

Verbis dubitandi negativis Seneca non raro Acc. c. Inf. addidit: ‚potentiorem me futurum apud te non dubito quam dolorem tuum, quo nihil est apud miseros potentius.' Helv. 2, 1. Cl. 13, 5. Ben. VI. 27, 3. N. Q. IV. praef. 1. N. Q. II. 37, 1. Ep. 52, 15. 114, 11.

§ 2.

De particula quo minus.

Quo minus in litteris et monumentis, quae exstant, nisi coniunctivo sequente non invenitur neque dubium est, quin iam antiquissimis temporibus ad finem seu consilium significandum in usu fuerit (ut eo minus). cf. Draeg. p. 690 de usu Terentiano. Schmalz § 309. — Aureae et argenteae latinitatis scriptores quo minus ita usurparunt, ut post verba et phrases, quibus vis subest impediendi vel similis, ponere consuevissent, id quod Draeger p. 690 docet, cum dicit: ‚Beschränkt wird der Gebrauch auf Nebensätze, deren Hauptsatz entweder direct oder dem Zusammenhange nach den Begriff des Hinderns enthält, also ursprünglich so gedacht: ‚Ich lasse ein Hindernis eintreten, damit folgendes nicht geschehe.'

Et verissime a Schmalzio doceri: ‚Die Analogie entfaltete in der Verbreitung dieser Construction eine große Macht' ex Senecae quoque scriptis cognoscimus, qui, qua ratione coniunctione quo minus usus sit, exemplis afferendis sum expositurus.

deesse: ‚unum enim illi deerat, quo minus bonum esset, quod incorporale erat.' Ep. 117, 10 (cf. Sen. rh. 296, 6: quibus quo minus ad famam pervenirent, non ingenium defuit sed locus). Tac. ann. XIV. 39: nec defuit Polyclitus, quo minus militibus quoque nostris terribilis incederet.



deprecari: ‚speculatoribus occurrit nihilque se deprecari, quo minus imperata peragerent, dixit.‘ Ben. III. 25, 1. cf. Liv. III. 9: neque illum se deprecari, quo minus pergat, ut coeperit. (Sen. rh. 253, 7: non peto, quo minus.)

deterrere: ‚Quare non est, quod fastidiosi isti te deterreant, quo minus servis tuis hilarem te praestes et non superbe superiorem.‘ Ep. 47, 17. Helv. 19, 7. Ep. 89, 18.

fulcire: ‚et qui domum meam, quo minus ruat, fulcit, praestat mihi (sc. beneficium).‘ Ben. V. 19, 1.

impedire: ne virus quidem istud — me impediet, quo minus perseverem laudare vitam, non quam ago, sed quam agendam scio, quo minus virtutem et ex intervallo ingenti reptabundus sequar. Vit. b. 18, 2 — ‚quid enim impedit, quo minus tot sint, quot nubes fuerint aptae ad exhibendam solis effigiem?‘ N. Q. I. 13, 1 — ‚nihil nos detineat nec impediat, quo minus pacati simus.‘ Ep. 26, 10. 50, 7. 94, 32 — ‚errando impedietur, quo minus ad illud perveniat, quo possit esse contentus.‘ Ep. 94, 51.

morari: ‚nihil moror, quo minus tuum revertatur., Ben. VI. 41, 2 — ‚Per te vero non est mora, quo minus beneficia, qui acceperunt, ultro repetant.‘ Ben. V. 1, 5 — 5, 4 — ‚nullam moram faciam, quo minus recipiatis quod dedistis.‘ Prov. 5, 5 — cf. Cic. Verr. II. 38: si tantulum morae fuisset, quo minus pecunia illa numeraretur.

nocere: ‚non multum illi (i. e. pilae lusoriae) commissurae et rimae earum nocent, quo minus par sibi ab omni parte dicatur.‘ N. Q. IV. 11, 3.

obesse: ‚si servo, quo minus in nomen meriti perveniat, necessitas obest et patiendi ultima timor.‘ Ben. III. 18, 3.

obsistere: ‚impares fortuna (sc. sumus), quae si cui obstitit, quo minus referret gratiam, non ideo illi tamquam victo erubescendum est.‘ Ben. V. 5, 3.

obstare: ‚consummatae scientiae nihil deest, etiam si quid obstat, quo minus se utatur.‘ Ben. IV. 21, 4.

— ,non enim video, quid prohibeat vel obstet, quo minus habeatur in abdito etiam aliquod litus et per occultos aditus receptum mare.' N. Q. VI. 7, 5. Helv. 19, 2. Ep. 19, 5. 117, 15.

non persuadere: ,quorum (sc. motuum inevitabilium) quia nihil in nostra potestate est, nulla, quo minus fiant, ratio persuadet.' Ir. II. 2, 1. cf. Cic. har. resp. 13, 27: nihil te curulis aedilitas permovit, quo minus ludos pollueres.

prohibere: ,quid prohibet, quo minus aliud quidem sit, sed nihilo minus bonum.' Ep. 117, 14. N. Q. VI. 7, 5.

recusare: ,nec recuso, quo minus singula membra — consideres.' Ep. 33, 5.

Seneca etiam infinitivum usurpavit, ut Ben. V. 1, 5.

resistere: ,Quid? navigia sarcina depressa parum ostendunt non aquam sibi resistere, quo minus mergantur, sed spiritum?' N. Q. II. 9, 3.

per aliquem stare: ,per illos non stabit, quo minus plurimum, quantum ceperis, haurias.' Brev. v. 14, 1. cf. Caes. b. c. I. 41, II. 13 — De usu illius phrasis et positivae et negativae satis frequenti Liviano v. Draeg. 691.

non temperare: ,non tempero mihi, quo minus omnes nostrorum ineptias proferam.' N. Q. IV. 6, 1. ,Arruntius non temperavit, quo minus primo statim libro poneret: ingentes esse famas de Regulo.' Ep. 114, 19.

teneri: ,quae (sc. mens) adeo libera et vaga est, ut ne ab hoc quidem carcere, cui inclusa est, teneri queat, quo minus impetu suo utatur et ingentia agat et in infinitum comes caelestibus exeat.' Ben. III. 20, 1. cf. Cic fam. VII. 1, 1: si te dolor tenuit, quo minus ad ludos venires. Caes. b. g. IV. 22: (naves) vento tenebantur, quo minus in eundem portum venire possent.

vetari: ,at haec (sc. sapientia), quae artem vitae professa est, nulla re, quo minus se exerceat, vetari potest.' Ep. 95, 8.

Qui has commentationes legerit, Annaeanarum particularum ut, ne, quin, quo minus usum in libris quibusdam nimis esse neglectum intelleget. cf. Opitz l. c. p. 24 ss., Forcell. sub voce vitandi a. l., Georges sub voce exigendi a. l., Draeger, cuius librum (Hist. Synt. II.), ceteroqui ornatissimum atque utilissimum, emendabam pp. 15, 20, 25, 26, 27, 28, 31. 34, 56 a l.

Itaque ad Senecae philosophi rationem dicendi planius cognoscendam aliquid me spero contulisse.

Druck von Rohlíček und Sievers in Prag.

PRAGER STUDIEN

AUS DEM GEBIETE DER

CLASSISCHEN

ALTERTHUMSWISSENSCHAFT

HERAUSGEGEBEN

MIT UNTERSTÜTZUNG DES K. K. MINISTERIUMS
FÜR CULTUS UND UNTERRICHT

HEFT II

GERUNDII ET GERUNDIVI

APUD PLAUTUM ET CYPRIANUM USUM

COMPARAVIT

ROLANDUS HERKENRATH

PRAG 1894
H. DOMINICUS VERLAG
(TH. GRUSS)

GERUNDII ET GERUNDIVI

APUD

PLAUTUM ET CYPRIANUM USUM

COMPARAVIT

ROLANDUS HERKENRATH

Vorgelegt von Prof. Dr OTTO KELLER

PRAG 1894
H. DOMINICUS VERLAG
(TH. GRUSS)

De gerundii et gerundivi apud veteres Romanorum scriptores usu quamquam iam multi docte eruditeque tractarunt, tamen quae est eius materiae infinita fere amplitudo, integram eandemque continuam doctrinam, qua et universa eius participii vis ac natura omni controversia disceptata certo praecipiatur et singularum formarum tum campus et potestas ab initio definita, tum progressus commutationesque per varia tempora facta accurate describantur, adhuc desideramus. Quae quidem omnibus numeris absoluta tum demum tradi poterit, cum quid apud quemque scriptorem, quid singulis temporibus viguerit indagatum erit, ut copiis undique collectis perfecta huius participii ex universa Latinitate imago adumbretur. Quamobrem haud inutile fore speravi, si, quemadmodum ab aliis in aureae et argenteae quas vocant aetatum scriptoribus factum esse vidi, ita nos in Plauti et Cypriani usum huius participii inquirere eosque inter se comparare conemur. Hos autem potissimum eligere visum est, tum quia neutrius scripta iam de hac re post textum critice constitutum perlustrata sunt tum quia cum ille efflorescentis hic senescentis linguae speciem ac formam suppeditet, gerundii et gerundivi indolem communem variasque vices facilius nos docent.

Egerunt de Plauto illo quidem primum imperfecte omnino Holtze in Syntaxi priscorum scriptorum Latinorum (Lipsiae 1861 et 1862), quem sequitur Dräger [1]), deinde

[1]) Dräger, Histor. Syntax der lat. Sprache. Leipzig. 1878.

diligentius Krause in libello, qui inscribitur: De gerundii et gerundivi apud antiquissimos Romanorum scriptores usu (Halis Saxon. 1875). Sed ne hic quidem nisi quae sibi praecipua viderentur tractanda suscepit, reliqua summatim locis aut paucis aut nullis indicatis complectitur, et interdum subsidiorum criticorum defectu locos falsos attulit [2]). Attamen et eo libro et aliis quos suo quemque loco laudavi, saepissime cum utilitate semperque grato animo usus sum. Inter eos, quos de universa gerundii et gerundivi vi et significatione consului, primum locum tenet Weisweiler, qui de Latinae linguae participio futuri passivi (Paderb. 1890) tam considerate subtiliterque disputavit, ut quem securius in ea re sequerer ducem non invenerim.

Nam cum inde a Weissenbornii de gerundio et gerundivo Latinae linguae commentatione Isenaci anno huius saeculi quadragesimo quarto edita ea sententia per omnes fere grammaticorum libros serpere coepisset, qua primariam huius participii formam gerundium, derivatam gerundivum censerent ac tum futuri vel necessitatis tum passivam significationem ab eo abesse iudicarent eamque rem vel etymologia confirmarent, Weisweiler a veterum grammaticorum Romanorum praeceptis profectus maxime vero quaestione ab etymologorum discidiis [3]) ad ipsa exempla certumque usum revocata disputatione eo devenit, ut contraria illis statuenda esse ostenderet, nimirum gerundivum sive personalem formam primariam esse, gerundium autem nihil nisi eiusdem formae usum impersonalem, significationem vero et passivam esse et necessitatis vel

---

[2]) Quae ab eo de Varrone proposita sunt, G. Heidrich semin. Pragensis olim sodalis (Varroniana I. Melk 1890 Progr.) multifariam correxit aut complevit.

[3]) Quamquam ipse quae viri docti ad explicandum suffixum -ndotemptarunt, recenset singulosque refutat remque in dubio relinqui demonstrat. Atque alii quoque, ut ipse Stolzius in Weisweileriani libri censura (Berl. Phil. Wochenschrift XI. [1891] p. 312 sq.), W. Deecke (Beiträge zur Auffassung der latein. Infinitiv-, Gerundial- und Supinum-Constructionen. Mühlhausen i. E. 1890 [Prog.]) p. 47 nihil certi adhuc constitui posse concedunt.

futuri vim tamquam propriam atque innatam per omnes casus retineri, nisi quod casuum nominalium, ablativi maxime, potestate nonnihil obscuratam et immutatam esse concedit. Porro nomina gerundii et gerundivi perperam et a recentioribus demum ita distributa esse, quasi haec forma ab illa descenderet; apud veteres utramque uno nomine, qui est gerundi modus, vel modus rei gerundae, ut eius vim ac naturam significarent, nuncupatam esse, optime vero ab iisdem participium futuri passivi designari, quam appellationem quasi notam quandam veritatis esse retinendam [4]).

Mihi ille quidem argumentis ita persuasit, ut doctrinam eius ad ea quae collegissem ex Plauto et Cypriano exempla applicare et haec illa explanare, illam his confirmare et amplificare proposuerim. Quod quatenus a me effectum sit, aliorum iudicio relinquo. Atque haec praefatus iam rem ipsam aggrediar. Primum pauca de formis in -undus et -endus desinentibus disseram, deinde de participii coniugatione periphrastica, tum de usu attributivo, tum de praedicativo, denique de singulis casibus obliquis deinceps tractabo. In locis Plautinis afferendis maxime editiones a Ritschelio eiusque discipulis apparatas, in Cypriano Hartelianae editionis paginas secutus sum.

---

[4]) Etiam Deecke in libello. quem inscripsit: Beiträge zur Auffassung der lat. Infinitiv-, Gerundial- u. Supinum-Constructionen eadem fere docet.

De duplicis formae grammaticae tum apud Plautum tum apud Cyprianum usu pauca praemittuntur.

Duplicem huius participii formam in tertiae et quartae coniugationis verbis, unam suffixo quod est -undo-, alteram quod est -endo -instructam, antiquitus in usu fuisse non minus inscriptionibus quam libris constat, quarum formarum illam vetustiorem cum formis temporis praesentis, recentiorem hanc cum futuri proxime convenire statuunt [5]), quamquam in primis scriptis monumentis ambae simul apparent neque significationis discrimen iam ullum adest [5]). Fuisse tamen olim temporis praesentis significationem in suffixo, quod est -undo-, paucae quae eam vim retinuerunt, testimonio sunt reliquiae, ut ,oriundus,' ,labundus' participia et quod adiectivum evasit ,secundus' [6]). (cf. Plaut. Bacch. 1055 Curc. 1055 Aul. 542. — Truc. 713. Amph. 551.)

Iam ut quid apud Plautum in hac re valuerit, quoad librorum memoriae fidere licet, videamus, omnium verborum et tertiae et quartae coniugationis, quae exstant apud Plautum gerundii vel gerundivi formas alphabetico ordine in duabus columnis enumerabo, quarum una suffixa quae in- undo-, altera quae in -endo- terminantur, contineat.

III. coniug.

Suffix. -undo-:	Suffix. -endo-:
agunda Amph. 633	agendus Merc. 117
-am Poen. 599 (Trin. 232)	Poen. 567. 1243
Cist. IV. 2, 56	
-ae Trin. 366. Poen. 1189	
-um Capt. 228. Mil. 945	
exigunda Capt. 1001	
(apiscor)	apiscendi Epid. 15
adipiscundi Stich. 280	

[5]) Fusius de hac re agit J. Weisweiler l. l. inde a p. 37. praeterea Corssen, Ausspr. II² 180 sqq., Neue II² 452 sqq. Kühner I. p. 454 s. Adn. 1 et 2.

[6]) De vi et usu vocabulorum -bundus et -cundus finitorum, quae cognatione huc referenda sunt, cf. Weisweiler l. l. p. 40 sq.

Suffix -undo-:	Suffix. -endo-:
	bibendus Stich. 713
caedundus Capt. 819	caedendus Cas. 528
	-um Aul 567
capiundus Bacch. 325	capiendi Truc. 293
-um Mil. 247. 793	accipiendum Truc. 962
-as Most. 226	
	consulendum Poen. 926
	coquenda Merc. 741. 742
	currendum Merc. 118
	Pseud. 331
	-o Merc. 151
dicundum Curc 609	dicendum Amph. 619
Rud. 961 b. Most. 948	
	discendus Mil. 1359
	perdiscendum Truc. 310
(do)	
perdundum Bacch. 86. 738	abdendus Trin. 596
1045. 1049	[perdendum Epid. 519]
-i Curc. 706	reddendus Stich. 203
-ae Rud. 1373	
vendundis Amph. prol. 2	
	ducendus Truc. 866
edundi Capt. 852. 153	
emundis Amph. prol. 2	
faciundus Amph. 891	(faciendus Stich. 54) [7])
-um Amph. 1179	
Merc. 419 [7]) Cist. IV. 1, 5, 2, 104. Cas. 968. Mil. 748. 887. 889. 891	

---

[7]) Stich. I. 1, 53 (54) ,Faciendum id nobis quod parentes imperant;' versus unus ex vv. 48–49 est, qui quoniam ab Ambrosiano prorsus absunt, a Plauto profecti esse non possunt, id quod in hoc versu tum ex *e* littera pro *u* posita tum absentia copulae confirmatur.

Altero loco Merc. I. 3, 83 (419) ,Multo edepol, si quid faciundumst, facere damni mavolo, quam . . .' codd. BCD praebent faciendum, quod a Ritschelio et Götzio in textum receptum est; mihi ceteris comparatis exemplis faciundum, quod est in FZ, omnino probatur.

Suffix. -undo-:	Suffix. -endo-:
Asin. 820. Stich. 618.	
Most. 1092. Epid. 378. 274	
faciunda Capt. 986. Stich. 87.	
Men. 542	
-i Mil. 991. Epid. 15.	
Stich. 117. 271	
-am Curc. 440	
-o Rud. 757. Asin. 873	
ferundum Amph. 175	
-a Rud. 485	
perferundi Capt. 743	ecferendum Aul. 568
referundae Pers. 428	
sufferundas Asin. 557	
	fugiendi Capt. 117
gerundum Most. 226	
adgerunda Rud. 485	
aggerunda Cas. 124. Poen. 224	
	(gnosco)
	agnoscendum Rud. 1145
	(ito)
	abitendi Amph. II. frgm. XV.
	loquendi Trin. 998
	As. 515. Poen. 629. Capt. 212
	luendo, eluendo } Poen. 223
(mitto)	
amittundam Mil. 1324	amittenda Bacch. 223
-um Mil. 1418	
	obliviscendus Mil. 1359
patiundus Amph. 946	
-um Men. 670. Cas. 409.	
Trin. 378	
-a Most. 49	
(peto)	
expetunda Pers. 521	
repetundi Trin. 1131	
	(pono)

Suffix. -undo-:	Suffix. -endo-:
	componendis Merc. 192
(premo)	exponendam Cist. I. 3, 18. 34
comprimunda Pseud. 409	
quaerundum Trin. 646	quaerendum Amph. 423
-ae Merc. 551	-o Epid. 605
-as Mil. 803 Pers. 5	exquirendi Aul. 806
(rapio)	
diripiundum Poen. 302	
scribundum Bacch. 738	
	sistendus Trin. 867
	solvenda Asin. 321
	sternendis Stich. 677
	sumendam Stich. 70
	-us Stich. 203
(tego)	
integundam Rud. 101	
(texo)	
detexundam Pseud. 400	
	utendum Trin. 1131 Curc. 603. Men. 659 [8])
	utenda Aul. 96
	-am Aul. 311, 400 Men. 657 [8]) Pers. 127. 128
	-as Rud. 602.
	-os Asin. 444. Mil. 347. Pers. 118
	vivendo Epid. 177
	(vorto)
	advortendum Merc. 11

---

[8]) Men. 657 et 659 Ritschelius et Schöllius utundam et utundum in textum recipiunt addita hac adnotatione critica ad v. 657: ‚sic utendam BbZ sicut endā Ba Da (copul. Dc) sič (= sicut) eạndam C (correctum am ex om).‘ — ad v. 659: ‚utendam libri.‘ Quod si in aliis locis, quibus utendum retinetur, librorum auctoritas valet, eadem in hisce observanda est.

IV. coniug.

Suffix. -undo-:

eundum Curc. 6
-i Merc. 915
abeundum Aul. 105
adeundus Truc. 895. Rud. 1296
-i Bacch. 772. Trin. 432. Mil. 1226. Epid. 163. Pers. 469
exeundum Aul. 40
pereundum Mil. 180. 359. Asin. 244
-a Epid. 74
redeundum Amph. 527 (Men. prol. 49)
(gradior)
aggrediundus Trin. 963
experiundi Mil. 638
-o Rud. 186
reperiundo Asin. 728
-a Epid. 100
(venio)
inveniundo Asin. 254
conveniundus Trin. 1122
-i Mil. 1010 Capt. 748

Suffix. -endo-:

audiendus Truc. 834
-um Merc. 178
(haurio)
perhaurienda Mil. 35
moeniendis Truc. 310
saliendo Bacch. 429
(sentio)
adsentiendum Mil. 35
serviendae Mil. 1311
inserviendus Poen. 927
sortiendo Casin. 399
tussiendo Asin. 795

Ex hoc conspectu apparet plura exempla cum suffixo quod est undo (plus centum) quam quod est endo (fere octoginta) apud Plautum legi, numerum tamen variorum verborum maiorem in hoc quam in illo genere inveniri. Atque alia sunt verba, quae utrilibet formae suscipiendae erant apta neque, sive littera i praecedit suffixum sive non praecedit, quicquam videtur nisi in paucis verbis differre. Alia autem ut haec, quae sunt agere, edere, gerere, perdere, vendere, eaque, quorum in radice extrema i littera iam aderat, ut facere, pati, experiri, reperire, venire suffixo undo magis favisse cognoscimus; quod quidem suffixum in verbo eundi eiusque compositis solum idque per totam Latinitatem locum habere constat. Alia denique recentiorem, quae in -endo- desinit, formam, altera prorsus exclusa requirunt, ea scilicet, quorum radix aut terminabatur in *u* vel *v* aut in ultima syllaba *u* vocalem continebat; cuiusmodi sunt: coquere, loqui, luere, solvere, volvere alia, deinde consulere, currere, ducere, sumere, uti, fortasse etiam fugere, tussire.

Ergo et quod verba tantum, quae in -vo, -quo, -uo finiuntur, ab suffixo -undo- abhorruisse volunt, parum stricte de Plauto quidem statuitur, neque quod apud Neue II² p. 453 scriptum legimus: ‚In den Handschriften des Plautus (und des Terenz) ist die Endung -undus die gewöhnliche' stare iam potest. Hoc tamen verum esse, si ipsum usum Plautinum, non codicum memoriam cernas, facile concedo. Librorum enim scriptura cum in multis rebus tum in hac tam parva re saeculo obnoxia ab eo, quod traditum erat, non raro declinasse existimanda est.

Quantopere autem imperatorum temporibus -undo- suffixum evanuerit, documento est Cyprianus, qui saeculi tertii scriptor solis formis in -endus desinentibus utitur, nisi quod verbum eundi eiusque composita (cf eundi V. c. 16 subeundus 465, 25 praetereundum 820, 7; 781, 4 etc.) litteram suam *u* servaverunt.

Haec de forma gerundii notanda erant; iam ad usum ipsum syntacticum transeo; ubi primo loco gerundii coniugatio periphrastica, quam vocant, nobis se offert.

I. De gerundii et gerundivi apud Plautum et Cyprianum usu periphrastico.

Ut omnis ita etiam gerundii coniugatio periphrastica in eo consistit, ut accedente ad participium verbo substantivo certus actionis modus ac status, qui simplici verbo finito exprimi non potest, et hic quidem actionis necessitas quaedam passiva, significetur. Varia autem in ea re capita, ut quid uterque scriptor proprium habeat, perspiciamus, distinguenda sunt, ut primum de personali et impersonali modo, deinde de copulae et variis formis et omissione, tum de genere passivo, denique de necessitatis et temporis notione quaeramus.

A.

Plautus quomodo gerundio et gerundivo in coniugatione periphrastica usus sit, exponitur.

1. De constructione personali et impersonali.

Utrumque in hoc genere modum et personalem et impersonalem a Plauto usurpari per se patet. Exempla postea, ubi de necessitatis notione agendum erit, clare distincta proponam: hoc loco sufficiat notasse frequentiorem esse apud Plautum personalem quam impersonalem modum; huius enim sexaginta duas, illius plus centum inveni sententias. Unum tamen exemplum huc adscribam oportet [9]), quo Plautus ad gerundium in coniugatione periphrastica positum adiecit obiectum: Trin. IV. 2, 27 (869) ‚Hercle opinor mi advenienti hac noctu *agitandumst*

---

[9]) Plura apud alios antiquos scriptores leguntur, quae a Krausio p. 11, 4 collecta sunt.

vigilias.' Quae res cum modi impersonalis, quem veteres grammatici Latini nuncuparunt, natura intime cohaeret. Hanc enim in eo sitam esse docent. ut quasi in medio inter passivum et activum genus collocata ab illo formam, ab hoc vim mutuetur. Differt igitur primum ab activo, quod verbi certo subiecto carentis actio absolute enuntiatur; vel si quis subiectum assignari sibi velit, substantivum abstractum, quod verbi notionem habeat, mente supplere poterit: v. gr. eventus evenit, sessio sedetur (fit), lectio legitur (fit), actio fit, similia. A passivo autem eo discernitur, quod minime aliquem pati vel ab aliquo recipi actionem verbi, sed hoc solum exerceri vim verbi et esse — ut ita dicam — in actu declaretur. Quo quidem fit, ut etiam id, quo tendat actio, seu obiectum addi possit. Sed plerumque si ea res inciderat, constructio personalis praeferebatur, quod etiam a Plauto factum esse mox videbimus.

2. De copulae usu.

Copulae formae a Plauto cum gerundio coniunctae praeter *est, sunt, esse* aliae raro leguntur, ut

es Bacch. I. 1, 40 (73) Pseud. IV. 1, 11 99) Trin. I. 2, 59 (96)

siet Epid. II. 1, 3 (138) Poen. IV. 2, 32 (355) (sit)

sient Mil. IV. 8, 48 (1358)

fuit Capt. V. 1, 4 (925)

foret Mil. I. 1, 35 (35) si optandum foret.

Plautus in forma finita positam copulam gerundio semper addit nisi quod semel *est* omissum legimus Men. IV. 2, 107 (670) ‚Si tibi displiceo patiundum: at placuero huic Erotio.'

Cuius rei causa est rhetorica. Sic enim Menaechmus omittens verbum substantivum fortius sibi loqui videtur, ut uxori, a qua foras exclusus erat, contumaciam fastumque opponat [10]).

---

[10]) cf. Brix ad hunc locum. — De spurio versu Stich. I. 1, 53 (54) ‚Faciendum id nobis, quod parentes imperant' iam dixi p. 5.,

Contra si infinitivus est praesentis, nunquam fere a Plauto additur copula. Excipiuntur quinque haec exempla:

Capt. III. 5, 105 (767) Exauspicavi ex vinclis: nunc intellego Redauspicandum esse in catenas denuo.

Curc. I. 2, 18 (112) Censeo hanc appellandam esse anum.

Mil. II. 4, 6 (359) Credo — tibi esse pereundum extra portam.

Stich. V. 4, 34 (714) Quid hic fastidis, quod faciundum vides tibi esse?

Truc. IV. 4, 13 (866) Scio equidem — tibi uxorem ducendam iam esse.

Ad sensum una structura ab altera nihil differt, et cum sint eiusdem etiam verborum conformationis ex utraque parte sententiae, solo arbitrio factum esse iudico, ut paucis illis locis *esse* gerundio adiungeretur. Nam ne dativos vel adverbia, quae ibi inveniuntur, copulae adiciendae ansam fuisse credamus, eo monemur, quod similibus omnino locis *esse* omittitur, ut ubi dativus pronominis additur: Men. II. 2, 71 (345) cavendum *nobis* sane censeo; Rud. I. 2, 93 (182) (illis); Cas. II. 6, 59 (411) (tibi); Truc. IV. 3, 55 (834) (mihi) — aut adverbium: Most. III. 1, 29 (556) Quid nunc faciundum censes? Mil. V. 25 (1418). — Sunt vero formulae quaedam, in quibus esse non poni sollemne erat, quarum praecipua haec est a communi vitae consuetudine sumpta: ,Sic faciundum censeo.' cf. Epid. II. 2, 89 (274) Asin. IV. 2, 11 (820) Cist. IV. 2, 104 Stich. IV. 2, 38 (618) Most. V. 1, 44 (1092) Men. IV. 3, 26 (700) Rud. IV. 3, 23 (961 b) Mil. II. 4, 52 (395) ib. III. 1, 29 (556).

3. De passiva notione.

Passivam in gerundii coniugatione periphrastica etiam apud Plautum inesse vim cum in ceteris exemplis

neque cum Ritschelio faciundumst scribi opus est. — Ceterum huc non pertinere eas sententias, in quibus copula semel posita ad duo plurave membra referenda est, vix est quod moneam. cf. v. g. Merc. I. 2, 51 (171) ,Et currendum et pugnandum et autem iurigandum est in via., Men. V. 2, 107 (820) ,Enimvero illud praecavendumst atque adcurandum mihi' — et alia multa.

nemo non concedat, de tribus tamen locis multi, immo inde a Weissenbornio omnes fere negarunt. Loci sunt hi:

Epid. I. 1, 70 puppis ***pereundast*** probe.

Trin. V. 2, 35 (1159) si tibi illa placet, ***placenda*** dos quoque est, quam dat tibi.

Trin. II. 1, 30 (264) Mille modis amor ***ignorandust*** procul abdendust atque ***apstandust.***

Iam Weisweiler nuper cum de quaestione universa tum de his aliisque locis dubitationi obnoxiis tam circumspecte eruditeque tractavit (v. l. l. p. 56 sq.), ut quod eius argumentis vel addas vel demas, vix invenias. Quare eius fere rationibus utar. Atque recte ille passivam significationem, quoniam tum in verborum transitivorum, etiamsi deponentia sint, constructione personali tum in impersonali intransitivorum inhaerere manifestum sit, gerundii coniugationi periphrasticae propriam esse concludit ex eoque fundamento reliqua, quae primum intuenti aliena videantur, diiudicari debere. Iam difficultas ut ex aliis ita ex Plautinis his locis inde repetitur, quod personalem gerundii constructionem etiam in verbis intransitivis admitti videmus[11]).

At duo loci priores (Trin. V. 2, 35 Epid. 1. 1, 70) quomodo passive intellegi possint, praesertim si participia perfecti passivi omnino similia, ut placitus, displicitus, obitus, praeteritus, interitus, successus, processus, discessus (cf. discessis custodibus) alia conferantur, apparet (v. Weisweiler p. 56). Latet enim sub eorum verborum forma activa vis quaedam passiva, qua factum est, ut quorum temporum participia activa in lingua Latina formata esse non videmus, ea in his verbis a passivo assumerentur. Quod in perfecto saepe, in participio futuri passivi inter-

---

[11]) Ita v. gr. Krause ‚de gerundii et gerundivi apud antiquissimos Romanorum scriptores usu' p. 5: ‚Gerundivi, inquit, veram et nativam significationem passivam ne credamus obstat, quod de intransitivis verbis, quae ne potuerunt quidem sibi assumere passivum, illud repeti videmus.' Deinde inter alios etiam Plautinos locos eos, de quibus agimus, allegat. Similiter Holtze II. p. 51, Dräger II. 820, Kühner II. 540 sq.

dum usu venit. Ergo quod dicitur ‚puppis pereunda est,' nihil aliud significat nisi puppis perire debet vel quod idem est interitu afficienda est. Item cum dicit ‚dos placenda est,' nihil aliud sibi vult nisi placita esse debet vel si mavis, adamanda est.

Tertium locum (Trin. II. 1, 30 [264]) Weisweiler quamvis ex eodem principio explicari possit, probabilius tamen corruptum esse existimat. Mihi de versus, praesertim vero de verbi apstandust lectione iam satis videtur constare. Hoc enim verbum et Ambrosianus praebet, et ‚Loewius Cens. p. 534 ex glossis firmavit' (cf. Götz. in edit. append.) [12]).

Ad rem autem explicandam etsi ea, quae Weisweiler disputavit, per se valent — nempe apstandus est et removendus est prope inter se conveniunt —, cum tamen sententia satis singulariter sit dicta, praeterea adhibendus est contextus. Ex eo enim elucet poetam duobus, quae proxime praecedunt, gerundivis (‚amor ignorandust, procul abdendus') inductum et quasi coactum esse, ut etiam tertio loco passiva forma pro eo, quod ob mentem versaretur sc. ‚a. abstare debet,' uteretur. Id quod eo securius fieri poterat, quod passiva vis ex illis in hoc continuatione quadam derivabatur.

Atque ut reliqua quoque, quae ex Plauto contra hanc sententiam proferuntur, etiamsi alio spectent, hoc loco breviter expediam, hos praeterea Krausius (p. 6) locos collegit: Aul. III. 6, 6 (542) qui habent, meminerunt sese unde ***oriundi*** sient; Curc. I. 1, 11 (11) ex dulci ***oriundum*** (congestum non feram?) Poen. V. 2, 95 (1055) unde sum ***oriundus.*** Epid. II. 1, 3 (168) quid est quod ***pudendum*** siet. Truc. II. 2, 14 (269) ***pudendumst*** vero clurinum pecus.

Ea vero refutatione vix indigent, cum verba affectuum

[12]) Discrepant libri: ADHIBENDUS ATQ. ABSTANDUST Ambros. — adhibendus est atque apstinendus B. item, quantum ad rem ceteri. Quod Weisweiler adnotat (p. 56. Anm. 3.): ‚Ritschls Bedenken hinsichtlich der Überlieferung [in append. edit. ad h. l.] werden bestätigt durch Priscians Bemerkung II. 411 H.: nemo dicit standus etc.,' rem non evincit.

impersonalia, quae sunt pudet, paenitet alia sicuti transitiva usurpari [13]), oriundus autem participium non minus quam ipsum verbum finitum orior passivam potius quam activam significationem habere (oriri = tolli cf. ortus) constet. Multo minus ea verba, quae licet apud posteriores scriptores intransitiva facta sint, apud Plautum etiam ut transitiva tractantur, argumento esse possunt, ut quod Poen. IV. 2, 105 legimus: et illud autem inserviendum consiliumst. (De quo versu v. Dräger II. 822.)

Ex his igitur, quae dicta sunt, sequitur, ut gerundivum a Plauto nisi passiva significatione non usurpetur.

4. De notione necessitatis.

Gerundio in coniugatione periphrastica posito necessitatem quandam significari tam apertum est, ut nemo vel eorum, qui eam vim gerundio per se inesse negant, in dubium vocaverit. Verum quo facilius qualis sit ea necessitas et quam late pateat, perspiciatur, singula exempla Plautina comparata inter se et examinata ad certa capita revocare institui.

a) Res ipsa, ad quam actio gerundivo expressa pertinet, natura ita comparata est, ut naturali nexu certum affectum operationemve adversum se excitet (necessitas psychologica) [14]):

α) Asin. II. 2, 71 (338) Iam *devorandum* censes, si conspexeris hominem.

Most. III. 2, 170 (855) Tranio age canem a foribus aliquis abducat face, | Etsi *non metuendast.*

β) Asin. V. 2, 58 (908) Non queo durare. — Si non didicisti fulloniam, | *Non mirandumst.*

Bach. III. 1, 5 (409) *Minus mirandumst* illaec aetas siquid illorum facit, | Quam si non faciat.

Capt. I. 2, 55 (158) *Non pol mirandumst* fugitare hanc provinciam.

---

[13]) cf. Kühner I. § 206 Adn. 6; II. § 27, 6. — Neue II. 260 sqq. — Weisweiler p. 56 sq. auctoresque ibi citatos.

[14]) Et hic et in iis, quae proxime sequuntur, Graecis litteris α et β personalis et impersonalis structurae exempla distinxi.

Curc. II. 2, 15 (265) *Nihil est mirandum* melius si nil sit sibi.

b) Externa rerum condicio talis est, ut homo velit nolit ad id, quod gerundio exprimitur, subeundum adigatur (necessitas physica externa s. coactio):

α) Asin. II. 2, 55 (321) Quin si *tergo res solvendast*, rapere cupio publicum.

Bacch. I. 1, 53 (86) Atque ecastor *apud hunc fluvium aliquid perdundumst.*

cf. ib. IV. 9, 122 (1045); 129 (1049).

Capt. V. 4, 4 (1001) Ubi labore lassitudost *exigunda* ex corpore.

Cas. II. 6, 59 (411) Malo, Chaline, tibi *cavendum* censeo.

Epid. I. 1, 74 (74) Haecine ubi scibit senex, *Puppis pereundast probe.*

ib. III. 4, 82 (519) Immo etiam si alterum tantum *perdendum est*, perdam potius quam sinam me impune irrisum esse habitum.

Merc. I. 2, 8 (117) Ita tres simitu *res agendae* sunt, quando unam occeperis.

ib. I. 2, 66 (178) Qui nunc, quom malum *audiendumst* flagitas me, ut eloquar.

ib. IV. 3, 40 sq. (742 sq.) Nam mihi amatori seni *coquenda, cenast.* Atqui quom recogito, *Nobis coquendast*, non quoi conducti sumus.

Hisce non eiusdem generis necessitatem gerundivis iterari obvium est. Nam illa moralis senis imperio accepta est, haec physica contra eius voluntatem ex ipsis iam rebus consequitur.

Mil. IV. 8, 14 (1324) Eam nobilitatem *amittundam* video.

Most. I. 1, 46 (49) Tu fortunatus, ego miser: *patiunda* sunt.

Pseud. III. 1, 14 (781) Cras mihi *potandus* fructus est fullonius.

Truc. IV. 3, 55 (834) Scio equidem, quae nolo, multa mi *audienda* ob noxiam.

β) Asin. I. 3, 91 (244) Et profecto, nisi illud perdo argentum, *pereundumst* mihi.

ib. III. 3, 12 (595) Acerbum funus filiae faciet, si te *carendumst.*

ib. V. 2, 87 (937) Male *cubandumst*: iudicatum me uxor abducit domum.

Capt. III. 5, 104 sq. (766) Exauspicavi ex vinclis: nunc intellego | *Redauspicandum esse* in catenas denuo.

ib. V. 1, 4 (925) ex miseriis plurimis me exemerunt, Quas dum te *carendum* hic fuit, sustentabam.

Cas. II. 6, 57 (409) *Patiundumst*, si quidem me vivo mea uxor imperium exhibet.

Men. IV. 2, 107 (670) Si tibi displiceo, *patiundum*: at placuero huic Erotio.

Mil. II. 2, 24 (180) Vae mihi misero, quoi *pereundumst* propter nihili bestiam.

ib. II. 4, 6 (359) Credo — tibi esse *pereundum* extra portam.

ib. IV. 5, 11 (1210) Etsi istuc mihi acerbumst, quia ero te *carendumst* optimo.

Most. III. 2, 12 (701) Nam et *cenandum* et *cubandumst* ei male.

Poen. I. 2, 185 (397) Nam mihi iam video propter te *victitandumst* sorbilo.

ib. IV. 2, 32 (855) Ut enim ubi mihi *vapulandum sit* tu corium sufferas.

Trin. IV. 2, 27 (869) Hercle opinor mi advenienti hac noctu *agitandumst* vigilias.

Truc. II. 7, 67 (628) Sed verum sine me dum petere, siquidem *belligerandumst.*

c) Rebus item externis necessitas oritur, sed moralis, qua voluntas ad agendum aliquid adducitur, quod potest quidem, sed aegre vitari. (Coactio quaedam moralis):

α) Amph. I. 1, 21 (175) *Habendum* et *ferundum* hoc onust cum labore.

ib. I. 1, 267 (423) Argumentis vicit. Aliud nomen *quaerendum* mihi.

Capt. II. 1, 6 (200) Indigna digna *habenda sunt* erus quae facit.

Mil. III. 1, 153 (748) Tamen id quod odiost ***faciundumst*** cum malo atque ingratiis.

Most. I. 3, 130 (288) Purpura aetas ***occultandast***: aurum turpest mulieri.

ib. I. 3, 72 (229) Si quidem hercle ***vendundumst*** pater, vaenibit multo potius, quam te me vivo unquam sinam agere aut mendicare.

Poen. V. 4, 45 (1215) Sei quidem amicitiast ***habenda***, quom hoc habendast.

Rud. I. 2, 13 (101) Villam ***integundam*** intellego totam mihi.

ib. II. 1, 3 (292) ***Necessitate*** quidquid est domi, id sat est ***habendum***[15]).

ib. V. 3, 31 (1387) ***dandum*** huc argentum probum.

Trin. II. 4, 195 (596) ***Gestandust*** peregre clupeus.

ib. V. 2, 35 (1159) Si illa tibi placet, ***placenda*** dos quoquest quam dat tibi.

Truc. V. 70 (962) Fiat, ut rem gnatam video, hoc ***accipiendumst*** quod datur.

β) Asin. II. 4, 21 (427) Tamquam si claudus sim, cum fustist ***ambulandum***.

Aul. I. 1, 1 (40) ***exeundum*** tibi hercle hinc est foras.

ib. I. 2, 27 (105) Discrucior animi, quia ab domo ***abeundumst*** mihi.

Curc. I. 1, 6 (6) Tamen ***est eundum***, quo imperant ingratiis.

Mil. I. 1, 35 (35) ***Adsentiendumst***, quidquid hic mentibitur.

Pers. II. 2, 21 (203) ***Commorandumst*** iam mihi aput hunc obicem. (Commorandust apud hanc ob ioculum gradus — F. Schöll.)

Poen. V. 4, 73 (1243) Atqui hercle mecum ***agendumst***.

cf. Rud. III. 4, 14 (719).

Stich. V. 5, 16 (757) Siquidem mihi ***saltandumst***, iam vos date bibat tibicini.

Trin. II. 2, 97 (378) Egone indotatam te uxorem (ducere) ut patiar? — ***Patiendumst***, pater.

---

15) Exemplum eo notabile est, quod necessitatem bis expressam habet.

Iam ad eam agendi necessitatem venimus, quae in animi obligatione morali sive magis sive minus stricta nititur variisque fontibus emanat, qui deinceps recensendi sunt.

d) Necessitas a legis perpetuae et aeternae vi, quae quasi dux vitae et magistra officiorum est, proficiscitur. (Obligatio legis naturalis vel divinae).

α) Most. IV. 3, 29 (1023) *Fides servandast.*

Poen. V. 1, 23 (956) Eum fecisse aiunt, sibi *quod faciundum* fuit.

[Stich. I. 1, 53 (54) *Faciendum* id nobis, quod parentes imperant.]

Trin. II. 1, 30 (264) Mille modis amor *ignorandust*, procul *abdendus atque apstandust.*

Truc. IV. 4, 13 (866) Scio equidem – tibi uxorem *ducendam* iam esse

β) Epid. II 1, 3 (168) Quid est, quod *pudendum siet?*

e) Necessitas hominum lege vel imperio aut officio suscepto imponitur; interdum ex ipsis rebus quaedam oritur obligatio.

α) Merc. II. 2, 10 (281) mihi | Tres hodie *leiteis iudicandas* dicito.

cf. ib. IV. 3, 40 (742).

Stich. V. 4, 33 sq. (713 sq.) Bibe tibicen: *bibendum* hercle hoc est: ne nega. Quid hic fastidis, quod *faciundum* vides esse tibi? quin bibis?

Truc. prol. 21 His *ruminandumst*, qui ad eam adveniant, ceterum.

Mil. II. 4, 42 (395) *Narrandum* ego istuc militi censebo.

β) Rud. I. 2, 93 (182) Si tu de illarum cenaturus vesperi's, | Illis *curandum* censeo, Sceparneo.

ib. V. 2, 47 (1334) Per Venerem hanc *iurandumst* tibi.

(Men. prol. 49 Nunc in Epidamnum pedibus *redeundumst.*)

f) Cognata sunt iis, quae sub littera ‚d' allata sunt, haec quae quamvis non strictam propriamque obligationem includant, tamen id quod fieri conveniat atque deceat, declarant:

α) Bacch. IV. 3, 12 (625) *Consolandus* hic mist.

Cas. III. 1, 14 (528) *caedendus* tu homos: nimias delicias facis.
cf. Amph. I. 1, 172 (328); III. 2, 64 (946).
Mil. V. 25 (1418) Verberetur etiam: postibi *amittundum* censeo.
ib. IV. 6, 27 (1242) *Prohibendam* mortem mulieri video.
cf. ib. 54 (1272).
Most. II. 1, 65 (412) Verum id *videndumst*, id viri doctist opus,
Quae designata sint et facta nequiter,
Tranquille cuncta ut proveniant et sine malo.
Poen. V. 4, 45 (1215) Sei quidem amicitia habenda, quom *hoc habendast.*
Trin. I. 2, 59 (96) Si id non me accusas, tute *obiurgandu's.*
[Truc. II. 6, 6 (487) Non *laudandust*, quoi plus credit qui audit homo quam qui videt.]
β) Most. III. 1, 151 (681) At hic sunt mulieres: *Videndumst* primum, utrum eas velintne an non velint. — ‚Aequom iubes.'

g) Latissime apud Plautum patet is usus, cum per gerundium, quid ad aliquem finem assequendum agi oporteat, exprimitur (necessitas finalis).
α) Amph. III. 2, 10 (891) *Faciundumst* mihi illud, fieri quod illaec postulat.
Asin. II. 2, 91 (358) Quid nunc consili *captandum* censes?
Bacch. I. 1, 40 (73) *malacissandus* es.
ib. II. 2, 91 (325) Nunc tibimet illud navi *capiundumst* iter.
ib. IV. 4, 40 (691) Nunc tibi hoc *curandumst*, Chrysale.
Capt. II. 1, 32 (228) haud somniculose hoc *agundumst.*
Cas. II. 8, 8 (444) *Captandust* horum clanculum sermo mihi.
ib. II. 8, 39 (475) Enimvero huc aures magis sunt *adhibendae* mihi.
ib. V. 4, 5 (968) Hoc iter *faciundumst.*
Cist. IV. 1, 5 *faciundumst* puerile officium.
Curc. I. 2, 18 (112) Censeo hanc *appellandam* esse anum.

Epid. I. 1, 32 (37) Id modo *nitendumst*, ut materies suppetat scutariis.
ib. I. 1, 90 (100) Aliquid aliqua *reperiundumst.*
ib. IV. 1, 20 (546) Muliebri mi *adhibenda* malitiast.
ib. V. 3, 25 (689) *Conliganda* haec sunt tibi hodie.
Men. IV. 3, 26 (700) Consulam — amicos quid *faciundum* censeant
ib. V. 2, 107 (860) Enimvero illud *praecavendum* atque *adcurandum* mihi.
Merc. II. 3, 83 (419) si quid *faciundumst*, agite ite actutum.
Mil. I. 1, 35 (35) auribus *Perhaurienda* sunt, ne dentes dentiant.
ib. II. 2, 90 (247) et Philocomasio id *praecipiundumst*, ut sciat.
ib. III. 3, 70 (945) hoc quod *agundumst* exsequamur.
ib. IV. 2, 1 (991) Iamst ante aedis circus ubi ludi *faciundi* mihi.
ib. IV. 7, 8 (1291) Oratio alio mihi *demutandast.*
ib. IV. 8, 48 sq. (1358 sq.) Ei mihi, quom venit mi in mentem, ut mores *mutandi* sient, Muliebres mores *discendi*, obliviscendi stratiotici.
Most. I. 3, 69 (226) Soli *gerundum* censeo morem et *capiundas* crinis.
ib. I. 3, 115 (272) Etiamne unguentis *unguendam* censes?
ib. III. 1, 29 (556) quid nunc *faciundum* censes?
Pers. I. 2, 28 (80) Set aperiuntur aedes: *remorandust* gradus.
Poen. III 1, 64 (567) Hoc tibi cursius *agendum.*
ib. IV. 2, 104 sq. (926 sq.) Nam et hoc docte *consulendum*, quod modo creditumst, Et illud autem *inserviendumst* consilium vernaculum.
cf. ib. V. 4, 55 (1225).
Pseud. I. 4, 16 (409) Sed *conprimunda* vox mihi atque oratiost.
ib. IV. 1, 11 (915) *Monendu's*, ne me moneas.
Rud. II. 5, 27 sq. (484 sq.) Intro *ferundast* (urna); repperi negotium, si quidem his mihi ultro intro *adgerunda* etiamst aqua.

ib. V. 2, 11 (1298) ***Adeundus*** mihi illic est homo.
cf. Trin. IV. 2, 121 (963); V. 1, 6 (1122).

Trin. IV. 2, 25 (867) Apud illas aedes ***sistendae*** mihi sunt sycophantiae.

Truc. V. 3 (895) ***adeunda*** haec mihist.

β) Amph. I. 3, 29 (527) Nunc ne legio persentiscat, clam illuc ***redeundum*** mihi.

ib. II. 1, 72 (619) Ego inquam; quotiens ***dicendumst*** tibi.
cf. Most. IV. 2, 33 (948).

Asin. III. 3, 92 (682) ***Inambulandumst***: nunc mihi vicissim supplicabunt.
cf. ib. IV. 2, 11 (820).

Bacch. II. 3, 6 (240) Haud ***dormitandumst***: opus est chryso, Chrysale.

Cist. IV. 2, 104 sic *faciundum* censeo.

Curc. IV. 1, 26 (486) Sed interim fores crepuere: linguae ***moderandumst*** mihi.

ib. V. 2, 11 (609) Quotiens ***dicundumst*** mihi?

Epid. I. 2, 60 (163) ***Adeundumst***!

ib. II. 2, 89 (274) Sic *faciendum* censeo.

Merc. I. 2, 5 (171) mihi ***supplicandum*** servolo video meo.

ib. I. 2, 9 (118) Et ***currendum*** et ***pugnandum*** et autem ***iurigandum*** est.

ib. II. 3, 83 (419) si quid *faciundumst*

ib. IV. 3, 28 (727) Dicam — at pol qui ***dicendumst*** tamen.

Men. I. 1, 27 Tantas struices concinnat patinarias: *Standumst* in lecto, si quid de summo petas.

ib. II. 2, 71 (345) Nunc in istoc portust navis praedatoria, aps qua ***cavendum*** nobis sane censeo.

Mil. III. 1, 198 (793) ita ***praecipiundumst.***

Most. IV. 2, 33 (948) quotiens ***dicundumst*** tibi?

ib. V. 1, 21 (1069) Docte atque astu mihi ***captandumst*** cum illo.

ib. V. 1, 44 (1092) *Faciundum* edepol censeo.

ib. V. 2, 21 (1142) Hercle mihi tecum ***cavendumst***, nimis qui's orator catus.

Pseud. I. 3, 97 (331) extra portam mi etiam ***currendumst*** prius.

Rud. IV. 3, 23 (961 b) nam nisi dat, | domino *dicundum* censeo.

Stich. IV. 2, 38 (618) Sane *faciundum* censeo.

h) Interdum ubi nulla proprii nominis necessitas exsistit, ob id solum, quod cui sic agere placuit, participio futuri passivi utuntur, quo rem ita natam esse significent, ut iam sit eventura; apud Plautum tamen res rara nec plane certa:

Amph. I. 1, 172 (328) *Onerandus* est pugnis probe (Es gilt — er soll, weil ich will —)

Asin. V. 2, 72 (1190) *Potandumst*! (Es gilt zu trinken).

Mil. III. 3, 14 sqq. (887 sqq.) Si quid *faciendumst* mulieri male atque malitiose,

Ea sibi immortalis memoriast meminisse et sempiterna.

Sin bene quid aut fideliter *faciundumst*, eadem eveniet

Obliviosa extempulo ut fiat, meminisse nequeat.

Ergo istuc metuo quom venit vobis *faciundum* utrumque.

Rud. II. 5, 27 sq. (484 sq.) Intro *ferundast* (urna) repperi negotium, | siquidem his mihi ultro intro *adgerunda* etiamst aqua.

Habes ea gerundii exempla, quibus Plautus in coniugatione periphrastica usus est, quorum nullum vi necessitatis non est praeditum; eamque vim ne ab negativis quidem sententiis abesse licuit observari. Erant autem negativae sententiae diversi generis, prout negationis particula aut ad solum verbum necessitatis notione minime affecta, aut ad hanc ipsam erat relata. Sed rem illustrem exemplis. V. g. quae scripta legimus

Most. III. 2, 170 (855) ‚age canem a foribus aliquis abducat face, Etsi non metuendast,‘ ea ita se habent, quasi dixerit ille ‚canem metui opus non est,‘ quod germanice est „er muss (*braucht*) nicht gefürchtet zu werden.“ Metuendi negatur necessitas. Eiusdem rationis apud Plautum praeterea sunt:

Asin. V. 2, 58 (908) Non mirandumst.

Curc. II. 2, 15 (265) Nihil est mirandum melius si nil sit tibi.

Capt. I. 2, 55 (158) Non pol mirandumst fugitare hanc provinciam.

Bacch. III. 1, 5 (409) Minus mirandumst illaec aetas si quid illorum facit Quam si non faciat, i. e. minor est necessitas vel ratio, cur mireris. —

Ad alterum genus pertinent haec:

Bacch. II. 3, 6 (240) Haud dormitandum est.

Capt. II. 1, 32 (228) haud somniculose hoc agundumst.

ib. V. 3, 9 (986) mos est oblivisci hominibus Neque novisse quoius nihili faciunda gratia.

[Truc. II. 6, 6 (487) Non laudandust quoi plus credit qui audit homo quam qui videt.]

Quae si resolveris, ita dixeris: ‚Oportet non dormitare,' et ‚opus est hoc haud somniculose agi;' vel quoniam cum aliquid fieri oportet, eius contrarium non licet, dici etiam poterit ‚dormitare non licet.' Germanice vertemus: „hier heißt es nicht zu schlafen," „hier *darf* man nicht schlafen"[16]). Atque patet in altero hoc genere solum ea exempla, quae moralem aliquam obligationem contineant, poni posse.

Haec autem propterea exponenda mihi videbantur, quia ab hac altera sententiarum specie transitus paulatim ad eam significationem gerundii factus est, qua *posse* aliquid fieri indicatur. Idem enim quod fieri non debet (= non licet), vero aliquo sensu fieri non potest, nimirum licite non potest. Atque non raro idem fieri omnino non potest, ut in illo exemplo ‚homo hic laudandus non est' laudari hominem non solum non licet, sed vere quidem non potest omnino, deficiente nimirum virtute, propter quam solam aliquis vere laudari et potest et debet.

Quae res cum per se nisi de negativis sententiis non valeret, vi analogiae factum est, ut etiam positiva enuntiata illis opposita eiusdem provinciae partem occuparent, iamque v. g. utrumque tum ‚onus non ferundum' tum ‚onus ferundum' de potestate enuntiaretur. Sed Plautus eius usus non habet nisi remota illa, quae ostendi, initia. Longius progressus est Cyprianus; sed de eo postea.

---

[16]) Ceterum verbum, quod est *debeo*, pro utroque genere substitui potest atque semper negationem ad se attrahit, ita tamen, ut modo significet „müssen," modo „dürfen."

Nunc ad propositum meum revertar. Superest autem, ut de temporis significatione futuri, a qua gerundium in coniugatione periphrastica positum participium futuri passivi nuncupatum est, quid apud Plautum valeat dicam.

5. De temporis futuri significatione.

Pauca sunt exempla quibus Plautus, ubi de re futura loquitur, gerundii coniugationem periphrasticam praesentem usurpat:

Epid. I. 1, 70 (74) Haecine ubi scibit senex, Puppis pereundast probe.

Asin. III. 3, 12 (595) Acerbum funus filiae faciet, si te carendumst.

Mil. I. 1, 35 (35) adsentiendumst quidquid hic mentibitur.

ib. II. 4, 6 (359) Credo — tibi esse pereundum extra portam.

cf. ib. IV. 5, 11 (1210).

Most. III. 2, 12 (701) Res paratast mala in vesperum huic seni. Nam et cenandum et cubandumst ei male.

Sed his locis quominus revera futuri vicem a gerundio geri affirmemus, alia obstant similia, quibus Plautus, liberioris vulgarisque loquendi consuetudinis imitator, saepe praesenti tempore, ubi futurum expectemus, uti arguitur. Cf. v. g. Asin. II. 2, 71 (338) ‚Iam devorandum censes (= censebis), si conspexeris (hominem).'

ib. I. 3, 91 (244) Et profecto, nisi illud perdo (= perdam v. perdidero) argentum, pereundumst mihi.

Bacch. IV. 6, 6 (775) quam mox navigo (= navigabo In Ephesum.

ib. IV. 2, 10 (592) non it (= ibit): negat se ituram.

Alia multa, quae collecta sunt apud Holtze II. p. 67 sqq., eodem spectant. Quamquam quod de illis exemplis observant plerumque aliquo tamen modo futurum indicari, idem in gerundio obtinere fatendum est. Res enim, quae fieri debet, si quidem eveniat, futuro demum tempore eveniet. Aliud enim est afferre rationem, cur in gerundii coniugatione periphrastica ab expressa futuri declaratione abstineri possit, aliud contendere gerundium ipsum quasi verbum temporis futuri usurpari, quod negandum est.

Neque ipse Weisweiler, cum huic participio futuri significationem tamquam propriam vindicat, aliam nisi illam, quae latius intellegitur, prae oculis habet. De qua re ea conferenda sunt, quae pagina 142 et sequentibus exponit.

B.

Cyprianus quomodo gerundio et gerundivo in coniugatione periphrastica usus sit, ostenditur.

Multo saepius Cyprianus participii futuri passivi coniugatione periphrastica utitur quam Plautus, cuius rei ratio inde repetenda est, quod ille in disciplina Christiana morumque praeceptis tradendis unice fere versatur. Eius autem usus a Plautino sermone diversitas ut clarius appareat, eadem iisdem numeris capita atque antea tractabo. Plurima autem inter utrumque convenire videbimus.

1. Ac primum superari impersonalem modum personali idque magis etiam quam apud illum notandum est. Nam ex quadringentis fere locis vix tertiam partem impersonali generi adnumeramus. In proponendis autem postea exemplis neque exhauriri tantam copiam neque anxie distingui utrumque genus oportere iudicavi. Sunt enim ceteroqui inter se similia. Eadem enim utrimque necessitatis notio, eadem tum dativi tum adverbii adsumendi facultas, eadem etiam duorum vel plurium ad orationis vim ornatumque augendum coniunctio. Ac ne haec ultima quidem, quoniam etiam apud Plautum inveniuntur et gerundio ac gerundivo cum ceteris orationis partibus communia neque ad propriam eius indolem cognoscendam quidquam conferunt, singula persequi animum potui inducere. Specimine tamen eligendo faciam, ut Cypriani dictionis praecipuae proprietates conspiciantur.

2. Copula, praeter *est*, *sunt*, *esse* omnia fere tempora et modos pervadit (*sit* 192, 8; 302, 4; 304, 14; 657, 12 al. *sint* 712, 13; 760, 15; 763, 7. *erat* 243, 20. *erant* 791, 3. *esset* 626, 10. *fuit* 351, 5; 297, 10; 317, 7; 585, 10 al. *fuerunt* 558, 13. *fuerit* 312, 24. *fuerat* (= erat) 584, 6;

611, 2; 617, 18; 756, 23. *fuerant* (= erant)[17]) 625, 21; 677, 9; 732, 14. *erunt* 565, 17: de ceteris vero, quae agenda erunt — tractabimus); eam ne Cyprianus quidem nisi hisce condicionibus omittit:

a) Si est indicativus praesentis (est, sunt [semel 237, 6]), variis ex causis; aut ut pondus orationi accedat, quale est De laps. 263, 4 sq. pro hoste *vitanda* res, pro latrone *fugienda*, pro gladio *metuenda* possidentibus et veneno; et ib. 237, 6 *dandae* laudes Deo et beneficia eius ac munera cum gratiarum actione *celebranda*. Eminere ea gerundia in priore sententia figura amplificationis, in altera membrorum chiasmo adhibito magis etiam apparet. Aut copula, ne tum in principali tum in secundaria sententia posita cum molestia repetatur, semel omittitur: De bon. pat. 398, 25 *diligenda* res homini, quae Deo cara est. Aut denique si commune aliquod praeceptum ita ad singulas partes applicatur, ut verbum finitum, gerundio et copula expressum, in eodem genere varietur atque repetatur; copula primo loco additur, reliquis omittitur ac mente ex primo intellegitur. Atque ipsa ea omissione scriptorem in eadem re continuare indicatur. Unum eius rei exemplum Cyprianus praebet Ad Fort. c. 5. p. 319 sq.:

In exhortandis itaque ac parandis fratribus nostris et virtutis ac fidei firmitate ad praeconium dominicae confessionis adque[18]) ad proelium persecutionis et passionis armandis primo in loco *dicendum est*:

I. Idola deos non esse quae homo sibi faciat. —

— — —

III. *Tunc addendum* quae comminatio Dei sit adversos eos qui idolis sacrificant.

IV. *Praeterea docendum* non facile ignoscere Deum idololatris.

— — —

---

[17]) Communis illius aetatis scriptorum mos est, ut plusquamperfecto pro perfecto vel pro imperfecto utantur. Cf. Paucker: ,De latinitate scriptorum historiae Aug.' p. 81 sq.

[18]) Secutus sum editorem cum ceteris in rebus, tum in eo, ut ,adque' pro ,atque' scriptum retinerem.

VI. *Subiungendum* post haec — —
VII. *Insinuandum* quoque ne . . .

— — —

XI. Ac ne expavescat quis et conturbetur ad pressuras et persecutiones quas patimur in isto mundo, *probandum* ante praedictum esse.

XII. In novissima parte *ponendum*, quae spes et quae merces maneat iustos et martyras post conflictationem huius temporis et passiones.

In aliis omnibus locis Cyprianus indicativum est ad gerundium semper adiecit.

b) In infinitivo autem praesentis copulam esse multo saepius omisit quam addidit: illud plus centum, hoc circiter quinquaginta locis factum inveni. Qua in re ne id quidem si sententia negativa est quidquam videtur referre. Carent enim etiamsi sint negativae, verbi substantivi infinitivo v. gr. hae sententiae: Ad Quirin. 102, 19 non iurandum 103, 3 vicem mali non reddendam, ib. 29 inepte non loquendum, 104, 11 non faenerandum. Epist. 568, 12 Censuistis non communicandum (presbytero Gaio Didensi) cf. 633, 18.

Subiunctum est esse post negationem v. gr. Ad Quir. 102, 20 non maledicendum esse. De mort. 309, 19 ut publice praedicarem fratres nostros non esse lugendos arcessitione dominica de saeculo liberatos. ib. 24 occasionem dandam non esse gentibus, ut nos merito . . . reprehendant. Epist. 709, 7 ab evangelicis autem praeceptis omnino non recedendum esse docet . . . apostolus. cf. 753, 10; 780, 5; 800, 22.

Quae cum ita sint, usum in copula vel ponenda vel omittenda similem omnino Plautino, immo bonae aetatis Romanae consuetudinem secutus est Cyprianus, id quod eo magis notatu dignum est, quia argenteae aetatis rhetores et scriptores ut ii, quorum Seneca pater profert dicta, et Plinius maior ab ea regula deflexerunt.

3. Porro passivam significationem personalis huius participii constructio tam manifeste prae se fert, ut ne ambigi quidem possit. Neque prisci illius aliquorum ver-

borum intransitivorum usus personalis ulla apud Cyprianum exstant vestigia, quippe quae iam Ciceronis temporibus evanuerint.

4. Venio ad notionem necessitatis, quae apud Cyprianum non minus quam apud Plautum omnem gerundii coniugationem periphrasticam pervadit et varias species induit. Singillatim autem haec attinet animadverti:

a) Internae necessitatis, quam supra ex ipsa rei natura consequi dixi, triplex apud Cyprianum, quod gerundio vel gerundivo exprimatur, distinguendum est.

α) Psychologica illa, Plauto communis, in gerundio verborum affectus invenitur: Ad Fort. 332, 14 sq. ostendens Sp. s. castra diabolica non *timenda* et si bellum nobis hostis indixerit, in ipso magis bello spem nostram consistere. ib. 341, 20 sq. quanto Deus, qui conscientiae nostrae iudex est et solus *timendus*, nec derideri possit omnino nec falli. cf. 450, 15 mirandum non est; ib. illud mirandum est. 652, 24 ille *metuendus* est, cuius iram nemo potest evadere. 667, 19 sq. non tamen idcirco *timendum* est, quia minentur. 689, 7 illorum *flenda* et *lamentanda* condicio est. 759, 2 illud *mirandum* est, immo *indignandum* potius et *dolendum*.

β) Altera magis stricta ex ordine ac cursu naturae, cui omnes subiciuntur, exsistit (necessitas physica). Duo in promptu sunt exempla haec:

Epist. 668, 18 cum nobis *semel moriendum sit.* De laps. 243, 21 sq. cui enim non nascenti et morienti *relinquenda quandoque patria* et patrimonii sui facienda iactura est.

γ) Addendum est tertium internae atque absolutae necessitatis genus, quam logicam liceat appellare, cuius apud Cyprianum haec legi exempla:

Epist. 633, 4 neque enim *aequandi* sunt ille, qui ad sacrificium nefandum statim voluntate prosiluit, et qui reluctatus et congressus diu ad hoc funestum opus necessitate pervenit. 763, 7 ut habeantur quidem christiani, non sunt tamen ceteris *adaequandi.* 785, 7 non

est ergo, quod haereticis *cedendum* existimemus et baptisma . . . putemus *prodendum*.

789, 2 si haeretico aliquid *concedendum* putavit.

819, 12 non haeretici sed filii Dei *conputandi* sunt.

823, 4 confirmavimus *repudiandum* esse omne omnino baptisma.

824, 5 illos . . . pro non baptizatis *habendos* iudicavimus.

b) Externam necessitatem et coactionem quandam naturalem in hisce mihi videor repperisse sententiis. Absoluta omnino necessitas continetur

Epist. 684, 18 a quibus (nobis) ratio Domino *reddenda* est.

Minus absoluta, sed ita tamen certissima res, si qui lapsi erant, in fide perseverassent, hac sententia declaratur:

De laps. 243, 20 *relinquenda* erat patria et patrimonii *facienda* iactura. Similis est locus De bon. pat. 405, 25 quibus (praeter varias et adsiduas pugnas) in persecutionum quoque certamine patrimonia *relinquenda* sunt, *subeundus* carcer, *portandae* catenae, animae *impendendae*, gladius, ignes, cruces, omnia denique tormentorum ac poenarum genera fide et virtute patientiae *perferenda*. cf. praeterea

Epist. 699, 22 sqq. quantus vero communis omnibus nobis maeror atque cruciatus est de periculo virginum, quae illic tenentur, pro quibus non tantum libertatis sed et pudoris iactura *plangenda* est nec tam vincula barbarorum quam lenonum et lupanarium stupra *deflenda* sunt, ne membra Christo dicata . . . foedentur.

c) Moralem etiam invito illatam necessitatem in hisce expressam videmus exemplis:

De mort. 302, 3 sq. sciet (christianus) plus sibi quam ceteris in saeculo *laborandum*, cui magis sit cum diaboli impugnatione *luctandum*. Epist. 539, 5 sqq. hoc (humiles et quieti) cum debeamus omnes esse, tunc magis huiusmodi illi esse debent, quibus *laborandum est*, ut post

gravem lapsum vera poenitentia et humilitate tota promereri Dominum possint.

625, 11 mea apud te et persona et causa *purganda* est.

Iam ad eas partes, quas in coniugatione periphrastica positum participium futuri passivi apud Cyprianum occupat longe gravissimas atque amplissimas, venimus, cum ad eam necessitatem, quae ex lege morali, ut ita dicam, emanat, significandam adhibetur. Legem moralem intellegi volo sensu latissimo, ut non solum hominum naturam ac mores, sed leges etiam divinitus latas ac sive a Christo sive ab Apostolis promulgatas immo ipsa etiam praecepta ab Ecclesia iniuncta eo nomine comprendam. Ex horum enim fontium quocumque fluxit obligatio, a Cypriano participio necessitatis multo saepius quam verbis auxiliaribus solet declarari. Et quoniam genera ea necessitatis non raro confunduntur ac plura interdum in eodem exemplo concurrunt, rem ita institui, ut quod in quaque sententia magis eminere necessitatis genus mihi visum esset, id ponerem neque si pauca forte alio ab aliis traherentur, repugnare atque affirmare vellem. Atque his monitis ordinem iam inceptum persequor.

d) Obligatio agendi moralis stricta sive ex lege naturali sive divina descendens enuntiatur hisce locis:

Quod id. dii n. s. 26, 14 sq. in nostra dedicandus est mente (Deus), in nostro consecrandus est pectore.

Ad. Quir. 102, 6 sqq. agapen . . . religiose et firmiter exercendam — in nullo gloriandum — humilitatem et quietem in omnibus tenendam — non contristandum Sp. sanctum — iracundiam vincendam esse — in Deum solum fidendum et in ipso gloriandum — non iurandum — non maledicendum esse. cf. ib. 102, 21 –107, 19, ubi scriptor gerundium cum verbis necessitatis, quae sunt debere [19]) et oportere [20]) variat atque mutat. Eadem etiam

---

[19]) 102, 14; 103, 22. 25; 104, 7. 8. 14. 18. 23; 105, 16. 20; 106, 4. 19. 21. 23; 107, 9. 14.

[20]) 103, 19; 105, 14; 107, 8.

alibi alternantur, ut intra eandem sententiam De mortal. 312, 24 sq. Quod cum semper faciendum fuerit Dei servis, nunc fieri multo magis debet. Vide sis praeterea Sententias episcoporum p. 436 sqq., ubi eadem verba promiscue adhibentur.

D. cath. eccl. un. 225, 22 docet Dominus et admonet a talibus recedendum. Reliqua sunt 225, 25; 231, 4 sq.; 237, 6 sq.; 240, 3; 247, 19 sqq.; 268, 20; 303, 22 sq.; 323, 9; 448, 10; 709, 7; 712, 11. 13. 15 sq. 22 sq.; 717, 19; 718, 3. 5. 11; 721, 6 sq.; 732, 14; 739, 7 sq.; 756, 23 sq.; 760, 12. 15; 769, 6 sq.; 779, 8. 23; 780, 3. 5. 10; 787, 10; 790, 8; 791, 1. 8; 800, 10; 805, 24; 815, 7; 819, 12; 823, 4. —

e) Addo aliquas gerundii sententias, quibus homo aliquis, sed et ipse non raro Dei ipsius nomine aliquid praecipit:

193, 26 sq. quod si ille (apostolus) mulieres quoque admonet coercendas et moderandas.

450, 19 propterea decrevimus haereticos baptizandos esse.

cf. ib. 451, 22. — 568, 12 censuistis non communicandum (presbytero Gaio Didensi). De laps. 250, 16 mandant aliquid martyres fieri: si iusta, si licita, si non contra ipsum Dominum a Dei sacerdote facienda.

Huc etiam illa pertinent, quae ut fiant, rebus demum ipsis, non universali quadam lege exigitur:

De op. et clem. 387, 16 sq. (plures sunt pro quibus Dominum depreceris), multorum delicta *redimenda* sunt, multorum *purgandae* conscientiae, multorum animae *liberandae*.

Epist. 539, 15 sq. qui (collegae) perscripserunt, placere sibi quod statuimus nec ad vos recedendum esse. cf. 600, 14.

ib. 605, 4 ea quae in commune tractanda sunt agere et providere.

ib. 655, 16 ut his laxandam pacem putaverim.

ib. 668, 21 sq. non idcirco . . . relinquenda est ecclesiastica disciplina aut sacerdotalis solvenda censura, quoniam . . .

ib. 679, 20 de eorum facinore non puto esse reticendum.

ib. 794, 3 qui talibus communicandum existimat.

f) Saepe gerundio res non tam praecipitur cum rigore peragenda quam pro aequitate honestateque commendatur. Ut consilium cernitur:

Ad Quir. 106, 11 non quidquid licet esse faciendum. cf. 107, 3 Infirmos visitandos.

De laps. 246, 1 non tantum timenda non est eiusmodi sed et optanda iactura est.

Id quo quis dignus esse putatur, gerundii modo continetur:

Ad Dem. 360, 21 tunc torquendus fuissem, tunc ad confessionem criminis cum vi doloris adigendus. Quod aequum iustumque ac rationi consentaneum est, habes:

Ad Quir. 35, 5 obtemperandum fuit . . . desiderio tuo.

ib. 106, 1 Surgendum, cum episcopus aut presbyter veniat.

Epist. 773, 10. 11 non est autem de consuetudine *praescribendum* sed ratione *vincendum.* De hab. Virg. 193, 14 sq. ambulandum est vestigiis paribus, aemula ingressione nitendum.

ib. 195, 4 *utendum* putas his, quae possidere te Deus voluit.

Ad Don. 15, 21 sq. iam tibi auro distincta laquearia . . . sordebunt, cum scieris te excolendum magis, te potius exornandum.

cf. 106, 1; 217, 24. 25; 218, 2; 299, 23; 300, 25 sq. docens et ostendens, cum cari quos diligimus de saeculo exeunt, gaudendum potius quam dolendum. 304, 16; 317, 7; 320, 23; 340, 7; 341, 20 sq.; 389, 25; 398, 25; 472, 8; 495, 16; 504, 5; 508, 11; 526, 7; 528, 23; 558, 3. 4; 581, 18; 584, 6 sq.; 621, 14; 624, 21; 651, 15. 17; 679, 14; 740, 1; 748, 11. 16. 18. —

g) Frequentissimus is est apud Cyprianum gerundii usus, ut quid in rem aliquam propositam agi oporteat vel omitti indicetur. Ceterum hic quoque veram et strictam obligationem intercedere posse ac saepe intercedere, quotiens de fine necessario assequendo agatur, vix est quod moneam.

Primum huius stricti generis exempla promam. Id cuius gratia aliquid agendum esse censetur, interdum sententia addita finali vel simili clare dicitur, v. gr. 319, 11 sq. amplectenda res est et optanda et omnibus — precibus expetenda, ut qui servi Dei fuimus, simus et amici.

De zel. et liv. 420, 23 excubandum est itaque . . . adque omnibus viribus *elaborandum*, . . . nihil magis *cavendum*, nihil cautius *providendum*, quam ne quis invidia et livore capiatur.

473, 18 (primo igitur in loco) et praepositis et plebi nihil aliud elaborandum est quam ut . . . divina praecepta teneamus. cf. 622, 17 sq.

Epist. 474, 4 sq. liberanda est vigilanter de periculosis locis navis, exuenda est velociter de incendio sarcina prius quam flammis supervenientibus concremetur.

ib. 9 intercedendum est cito talibus, dum adhuc separari innocentes possint.

ib. 479, 9 sq. caute hoc et non glomeratim nec per multitudinem semel iunctam puto esse faciendum, ne ex hoc ipso invidia concitetur.

505, 9 danda opera est, ut . . . cf. 601, 9 — 724, 13 quod ne tales . . . redeant, omnibus viribus inculcandum est. —

Aliis autem locis quam plurimis, quid intendatur, ipsa re, non verbis elucet. Qualia sunt haec exempla.

Ad Quir. 105, 22 Peccantem publice obiurgandum (nempe ut et ipse emendetur et alii a peccando deterreantur).

De hab. virg. 198, 6 et nuptas puto et omnes omnino feminas admonendas, quod opus Dei — adulterari nullo modo debeat. cf. 199, 24. 25.

De cath. Eccl. un. 209, 8. 12 neque enim persecutio sola metuenda est — plus timendus et cavendus inimicus, cum latenter obrepit. cf. 211, 6; 250, 7. —

De laps. 263, 4 pro hoste vitanda res, pro latrone fugienda, pro gladio metuenda possidentibus et veneno.

De Dom. or. 269, 6 sq. nec (Deus) admonendus est clamoribus, qui cogitationes videt (= opus non est).

De bon. pat. 406, 12 tolerandum et perseverandum.

De zel. et liv. 430, 14 his meditationibus conroborandus est animus, f. d., eiusmodi exercitationibus contra omnia diaboli iacula firmandus.

cf. 280, 20; 313, 11 sq.; 437, 14; 440, 7; 442, 17; 444, 10; 445, 8 14; 448, 10. 13. 15; 451, 11. 22; 458, 4; 461, 6; 505, 23; 523, 19; 528, 28; 553, 11; 556, 4; 558, 12 sq.; 562, 15—17; 563, 11—14; 570, 18—21; 573, 9; 577, 7. 10. 11; 592, 4 sq.; 596, 24; 597, 15; 625, 21. 22; 626, 10; 627, 3; 651, 21; 657, 12; 684, 23; 769, 4; 773, 4; 781, 2; 815, 26; 819, 3. —

Cum res, quam aliquis spectans agit, nulla lege necessitateque iniuncta, sed libero consilio suscepta est, quidquid ad eam assequendam refertur, nulla ex causa alia necessarium est, nisi quia ratione habita sive rerum ac temporum sive regulae artis ac disciplinae commendatur. Gerundium tale cum verbis impersonalibus, quae sunt opus est et oportet, commutari potest, id quod ipsis exemplis conspicuum fiet:

Quod id. d. n. s. 26, 17 illic vocabulis opus est, ubi propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est. Hoc loco capita illa, quae Cyprianus ad Fortunatum (p. 319 sq.) scribens ‚in exhortandis ac parandis fratribus et virtute ac fidei firmitate ad praeconium dominicae confessionis adque ad proelium persecutionis et passionis armandis‘ sequenda esse proponit, quamquam iam alibi tractavi, iterum commemorem oportet. Indicat enim scriptor, quid et quo ordine dici oportere putet, ad eamque rem gerundia adhibet. Cf. supra p. 27 sq.

Ipsam autem tractandi rationem paulo ante ita explicaverat: p. 318, 23 sqq. Nec non et illud consilium, frater carissime, utile et salubre prospexi in exhortatione tam necessaria quae martyras faciat *amputandas esse verborum moras* et tarditates adque ambages sermonis humani *subtrahendas*, *ponenda* illa sola, quae Deus loquitur, quibus servos suos ad martyrium Christus hortatur; praecepta ipsa divina velut arma pugnantibus *suggerenda sunt*. —

His similia sunt haec, quae epistulae propositum spectant:

De bon. pat. 412, 16 nec illud in extrema parte reticendum est, ut . . . patienter exspectemus ultionis diem.

781, 4 praetereundum hunc locum non putavi. cf. 799, 6; 805, 8 in quo loco considerandum est. cf. 820, 7. Alia sunt: Epist. 585, 10 nuntiandum vobis fuit . . . quod pertineat.

606, 2 si easdem litteras confessoribus putaveris esse credendas.

611, 2 hic actus populo fuerat insinuandus. cf. 617, 18; 677, 8; 775, 7 sq. de eo vel maxime tibi scribendum et cum tua gravitate et sententia conferendum fuit.

Insignis locus eo, quod necessitatis notio bis per abundantiam quandam exprimitur, legitur Epist. 676, 14 sq. *necessarium non putavi* celeriter et urgenter haereticorum tibi ineptias *nuntiandas*.

Simile exemplum apud Plautum inventum rettuli p. 18. adn. 15.

h) Denique ne apud Cyprianum quidem desunt ea exempla, quibus nulla necessitate, sed suo aliquis arbitrio aut licentia, ut agat, compellitur:

De hab. virg. 192, 8 si carne sit gloriandum tunc plane, quando in nominis confessione cruciatur.

742, 21 qui deificam disciplinam neglegendam putant.

756, 11 sciat quisque (= quicumque) hoc opponendum putat.

Age vero, in negativis coniugationis periphrasticae sententiis gerundii vis apud Cyprianum quomodo se prodit? Ad quod ut respondeam, primum eadem, quae apud Plautum, distinguenda sunt genera duo, quorum uno rem aliquam necessariam esse, altero negetur licere. In priore haec pauca ea quidem exempla numerantur:

De hab. virg. 199, 24 sq. haec *non cogitanda* sunt Dei servis, *non* die semper ac nocte *metuenda*?

De dom. or. 269, 6 sq. *nec* (Deus) *admonendus* est clamoribus, qui cogitationes videt.

Ad Fortun. 320, 29 *nec timendas* esse iniurias et poenas persecutionum.

Ad Dem. 374, 16 sq. docens (Christus Luc. 11, 40) et ostendens *non* manus *lavandas* esse sed pectus et sordes intrinsecus potius quam extrinsecus *detrahendas*.

Quamquam in hoc exemplo negatione obiectum potius quam ipsum verbum respicitur.

De op. et clem. 375, 6 ut . . . medicinam *non putet adhibendam* esse vulneribus cf. 450, 15. Epist. 579, 19 exspectanda non sunt testimonia humana, cum praecedunt divina suffragia.

Alterum genus numero longe praestat. Nam praeter ea, quae nonnulla parte iam supra allata sunt, commemorandi sunt hi loci:

De hab. virg. 195, 17–20 *non* sunt amatoria *cantanda* nec turpia . . . *nec* homicidia idcirco sunt *facienda* . . . *aut sacrificandum* est idolis.

Epist. 668, 21 sq. *non* idcirco . . . *relinquenda* est ecclesiastica disciplina *aut* sacerdotalis *solvenda* censura quoniam . . .

679, 20 de eorum facinore *non puto esse reticendum*.

Quaestionem rhetoricam cum significatione negativa habes Epist. 687, 16 *an* ad hoc *deponenda* est catholicae ecclesiae dignitas?

Sententiam autem condicionalem 789, 2 *si* (s. Paulus) haereticis aliquid *concedendum* putavit.

Adde 102, 7. 11. 19—21. 27; 103 3. 28. 29; 104, 11. 13. 27. 28. 30; 105, 21. 23. 28—30; 106, 2. 5. 25; 107, 1 sq.; 207, 10 sq.; 244, 16 sq.; 246, 1; 309, 24; 319, 22; 451, 9; 521, 14 sq.; 556, 3; 579, 19; 601, 1. 2; 638, 24; 639, 8; 646, 4; 647, 11 sq.; 653, 10; 800, 22; 829, 5. –

Porro quod iam antea dixi ex altero hoc genere eam derivari gerundii in coniugatione periphrastica positi vim, qua posse aliquid fieri indicetur, cum apud Plautum in negativis propositionibus dumtaxat locum habere animadverterimus, apud Cyprianum etiam in positivis valet atque viget, ita tamen ut nisi de eo quod iuste ac legitime fiat, in usu non sit.

Rei illustrandae gratia pauca propono exempla:

Epist. 568, 12 censuistis non communicandum (presbytero Gaio Didensi). Cum hoc enuntiato, quod in Germanicum versum sic est: ‚Ihr hieltet dafür, dass man mit dem Presbyter G. D. keine Gemeinschaft pflegen dürfe (od. könne),' si aliud exemplum, quod legitur ib 569, 13 ‚ut communicandum cum illis temere existiment,' = ‚dass sie glauben, man könne (= dürfe) mit ihnen Umgang pflegen' comparaverimus, iam qua via necessitatis notio ad potestatis significationem declinata sit, manifestum perspicuumque est. Eadem fere propositio recurrit Epist. 794, 3 qui talibus . . . communicandum existimant.

Persimilis rationis est Epist. 742, 21 qui deificam disciplinam *neglegendam* putant. — Quam sententiam scriptor cum formaret ab eo quod ipse sentiret, deificam disciplinam neglegendam non esse, mente quasi profectus quid ei oppositum esset, non particula omissa consignavit. Atque eodem redeunt, quae scripsit ille Epist. 789, 2 si haeretico aliquid concedendum putavit.

Atque haec de his.

5 Postremum est, ut quae temporis notio apud Cyprianum participio quarto, cum ad coniugationem periphrasticam formandam adhibetur, insit quaeramus; scilicet hoc ambigitur, utrum in iis sententiis, in quibus gerundio vel gerundivo cum copula coniuncto actio revera futura significatur, ea structura simpliciter futuri temporis vicem gerat, an futuri, quod quidem stricte non late intellegatur, declaratio aliunde repetenda sit. Atque eam a solo verbo substantivo, minime vero ab ipso gerundio pendere ex hoc exemplo luce clarius apparet:

Epist 565, 17 de ceteris vero, quae *agenda erunt* . . . tractabimus. Haec aliter expressa ita dicentur: de ceteris, quae agi *oportebit*, . . . tractabimus. Ab hac sententia tempore, quod exprimitur, diversus, sed ad rem nostram probandam non minus aptus est hic locus:

ib. 512, 21 De his, quae vel *gesta sunt* vel *gerenda* . . . in commune tractabimus i. e. aliis verbis: De his, quae (nunc) gesta sunt vel geri *oportet* . . . in commune tracta-

bimus. cf. ib. 605, 4. Ergo etiam illud Epist. 684, 18 ,a quibus (nobis) ratio Domino ***reddenda est***' de necessitate, quae iam constituta est, non de ipsa actione, quae eam necessitatem aliquando consequetur, intellegatur necesse est. Neque, ut hic praevertam locum, qui per se alio spectat, quod scriptum legimus Epist. 571, 15 sq. litteras ad me fecerunt pacem ***non dandam*** sibi postulantes, sed quasi ***iam datam*** vindicantes, obici potest. Nam qui oppositione participii perfecti, quod est ,datam' putant factum esse, ut ,dandam' illud futuri significatione indutum sit, errare mihi quidem videntur. Nihil enim gerundii notione perfecti participio apposito est immutatum, nihilque adseritur nisi hoc: ,pax non ***ut detur*** (vel potius: ut daretur) postulantes sed quasi iam datam vindicantes.' Quod futurum, si id stricte intellegatur, profecto non est, nisi vero coniunctivos finales vel praesentis vel aliorum temporum vera futura esse quis dixerit. At aliud est rei alicuius nunc constare determinatum consilium vel necessitatem remque in eo esse ut fiat, aliud rem revera esse futuram. Hunc enim usum gerundium apud Cyprianum non habet, sed apud eos demum, qui post eum fuerunt scriptores [21]), invaluit ut v. gr., ,pacem dandam esse,' et ,pacem datum iri' promiscue usurparentur. cf. Dräger II 820. Kühner, Ausf. Gr. d. lat. Spr. II p. 546 sq. Neue, Lat. Formenl. II² p. 386. Gölzer, Latinité de S. Jérome (Paris 1884) p. 386 sqq. M. C. Paucker, De Latinitate script. hist. Aug. meletemata (Dorpat 1870) p. 84 sqq. Kaulen, Handb. z. Vulgata (Mainz 1870) p. 195.

Atque haec mihi de participii huius in coniugatione periphrastica positi usu et Plautino et Cypriániano observata sunt, qui quam prope cum inter se conveniant tum ad communem vel optimorum auctorum consuetudinem accedant, neminem fugerit. Conveniunt enim primum in eo, quod eandem fere in copula ponenda aut omittenda

---

[21]) In sermone populari iam ipsius Cypriani aetate is usus vigebat. Confer quod ipse praebet (Testim. p. 132, 18 coll. ad Fort. p. 339, 23) exemplum: 2 Macc. 7, 14 iterum ab ipso suscitandos (ἀναστήσεσθαι). Vide ap. Rönsch, Itala u. Vulgata (Marburg 1875) p. 133.

regulam sequuntur; deinde uterque constructioni personali magis quam impersonali videtur favere; tum personalis constructio omnis prae se ferre passivam significationem dicenda est; denique necessitatis notio omnibus apud utrumque exemplis intime adhaerens per varios suos gradus ac modos inde a summa absolutaque quadam vi usque ad levissimum quoddam momentum decurrit.

Proprium habet Plautus unum illud, quod personale et passivae significationis gerundium aliquotiens usurpavit in verbis intransitivis semelque ab gerundio sive impersonali participio aptum fecit obiectum; Cypriano autem peculiare est, quod participium hoc etiam in positivis coniugationis periphrasticae sententiis, paucis iis quidem, a necessitate ad potestatis notionem degeneravit. Id quod analogiae vi factum esse iam dixi. Alterum est, quod eo participio tum in veri rectique lege enuntianda tum in quibusvis praeceptis maxime generalibus tradendis abutitur, ubi meliorum temporum scriptores verba auxiliaria, quae sunt debere, oportet, opus est, solent adhibere. Detritum quippe longo usu tum iam evanuerat fere id, quo participium hoc ut actionis gerendae modus a verbis illis, etiamsi eorum partes susceperat, discernebatur, ut certam certis e rebus exsistentem agendi necessitatem proponeret. Quod ita esse haud scio an nusquam clarius quam in Plautinis fabulis deprehendatur.

Gerundivo, quod in coniugatione periphrastica, quam modo absolvimus, cum copula coniunctum poni solet, finitimum est vi ac significatione attributivum, ad quod tractandum me iam convertam.

II

De gerundivi usu attributivo.

A.

De Plauti usu gerundivi attributivo.

Cum pauca in lingua prisca fuisse gerundiva attributiva constat, tum apud Plautum vero paucissima sunt. Nam si eas formulas exceperis, quae inde ab antiquissimis temporibus apud omnes firmae stabilesque sunt, ut *oriundus* (Curc. I. 1, 11 [11] Egone apicularum congestum [sc. cereum] opera non feram, Ex dulci oriundum melculo dulci meo? cf. Aul. III. 6, 6 [542] Poen. V. 2, 95 [1055]),

secundus (Truc. IV. 2, 3 [713] Nunc dum instat, dum habet, tempus ei rei secundumst. cf. Amph. II. 1, 1 [551]),

ius iurandum (Amph. III. 2, 50 [931] arbitratu tuo ius iurandum dabo. cf. ib. 55 [936]; Bacch. 1028; Merc. 1394; Merc. 790; iuris iurandi Rud. 1414; iuri iurando Capt. 898; iure iurando adlegat Rud. prol. 46; cf. Pseud 198),

haec, inquam, si exceperis, quinque relinquuntur exempla:

expetundus: Pers. IV. 3, 52 (521) adduxit simul Forma expetunda liberalem mulierem.

intolerandus: Trin. IV. 1, 7 (826) Nam te omnes avidis moribus commemorant, Spurcificum, immanem, intolerandum, vesanum.

mirandus: Rud. II. 3, 15 (345) Pol haud miranda facta dicis.

pudendus: Truc. II. 2, 14 (269) Pudendumst vero clurinum pecus.

Substantivum evasit:

merenda (sc. cena): Most. IV. 2, 50 (966) Vide sis ne forte ad merendam quopiam devorteris.

De necessitatis significatione, quippe quae huic generi cum coniugatione periphrastica communis sit, non est quod addam. Nam qua via participium intolerandus eo devenerit, ut eum significet, qui tolerari non possit (unerträglich, unausstehlich), supra nobis expositum est. De adiectivis oriundus, secundus cf. p. 4.

B.

De Cypriani usu gerundivi attributivo.

Ampliorem et magis varium quam Plautus in hoc genere exemplorum numerum praebet Cyprianus. Et primum quidem gerundivum invenitur *verum attributum* cum substantivo coniunctum his locis:

adorandus: Sent. Episc. 446, 14 Domini nostri Christi adorandam et venerabilem maiestatem.

aversandus: Ad Donat. 12, 16 tristis adque aversandus aspectus.

commendandus: De dom. or. 269, 4 petitionem commendandam modeste Deo tumultuosa loquacitate iactare.

detestandus: Epist. 283, 50 humanae malitiae detestanda crudelitas. 664, 25 detestanda simulacra. cf. 793, 20.

exsecrandus: Epist. 793, 20 exsecranda ac detestanda res. cf. 726, 11 infra; 507, 20 infra.

metuendus: Epist. 676, 4 non ea reserat, quae in notitiam tuam deberet festinato statim quasi magna aut metuenda perferri.

nefandus: Epist. 617, 5 nefandorum criminum 625, 16 nefanda sacrificia. cf. 633, 4; 678, 2; 735, 16; 740, 12 alia.

paenitendus: Ad Donat. 9, 15 diversi spectaculi non minus paenitenda contagia.

revincendus: Epist. 817, 13 erexit se contra illum spiritum nequam revincendum.

venerandus: De bon. pat. 413, 22 Dei iudicis praedicatur adventus censurae suae maiestate venerandus. cf. 688, 2.

Deinde gerundivum semel pro sententia secundaria in appositione positum est:

aestimandus: Epist. 580, 20 sq. merebatur talis clericae ordinationis ulteriores gradus et incrementa maiora, non de annis suis sed de meritis aestimandus (= qui esset aestimandus).

Aliquotiens gerundivum attributivum praedicati locum tenet:

contemnendus: De dom. or. 282, 1 Docet non tantum contemnendas, sed et periculosas esse divitias.

exsecrandus: Epist. 507, 20 Quid deinde illud, quam vobis exsecrandum debet videri

vitandus: Epist. 800, 21 si vero ubique haeretici nihil aliud quam adversarii et antichristi nominantur, si vitandi et perversi et a semet ipsis damnati pronuntiantur.

Haec exempla cavendum est ne cum coniugatione periphrastica, in qua et ipsa gerundium cum copula praedicati locum tenet, confundantur. Discernuntur enim eo, quod illa stabilem quandam rei hominisve qualitatem, virtutem maxime aut vitium, indicant, unde quis aut in honore ac laude aut contemptui odioque habeatur similive tractatione dignus iudicetur, cum in coniugatione periphrastica certa quaedam actio necessaria esse ac iam imminere declaretur. Quamquam interdum res in dubio relinquitur, utrum actionis potius necessitas an rei constans, qua talem actionem adversum se quasi postulet, virtus intellegi debeat, ut cum Cyprianus scribit

Epist. 740, 1 sq.: neque enim tam culpandus est ille cui neglegenter obreptum est quam hic exsecrandus, qui fraudulenter obrepsit, vel

De laps. 262, 16 sq.: Deus quantum patris pietate indulgens semper et bonus est, tantum iudicis maiestate metuendus est.

In quibus utramcumque significationem praetuleris, alteram non improbabis.

Denique gerundivum substantivi instar non raro habetur:

agenda: Epist 623, 15 diu multumque tractatu inter nos habito iusta moderatione agenda libravimus.

dicenda: Ad Don. 16, 7 moderari tamen dicenda debemus.

exsecranda } Epist. 726, 11 sq. tam infanda, tam turpia,
infanda } tam etiam gentilibus exsecranda audistis.

fanda } Epist. 630, 17 cum tyrannus infestus sacerdo-
infanda } tibus Dei fanda atque infanda comminaretur.

nefanda: De cath. eccl. un. 228, 1 tam nefanda, tam grandia peccare.

fugienda: Ad Don. 12, 19 illic etiam fugienda conspicies.

venerandum: Epist. 688, 2 altare in cleri sacrum venerandumque congestum.

Semel masculinum legitur in vocativo: Epist. 533, 15 nunc modo, carissime, iam inter martyres *deputande*, voluisti nos litteris tuis gravare.

Ex his igitur, quae proposui, exemplis efficitur primum, ut et Plautus et Cyprianus praecipue in verbis affectuum vel similibus gerundio attributivo usi sint; deinde ut participii attributivam vim vero adiuncto adiectivo saepe fulserint atque sustentarint; tum ut, cum diu ante Cypriani aetatem hic usus iam latius liberiusque vagaretur, ipse tamen, quae a recta norma abhorreant, usurpaverit pauca. Atque hoc idem de praedicativo usu valere statim videbimus.

III.

De gerundivi apud Plautum et Cyprianum usu praedicativo.

Gerundivum, cum ad designandum consilium sit aptissimum, appositionis praedicativae loco saepissime ad ea verba transitiva complenda adhibetur, quae praeter accusativum obiecti alterum, praedicativum, quo quid de obiecto quis fieri velit, exprimatur, vel cum in passivo posita sunt, praeter nominativum subiecti alterum, praedicativum, desiderant.

A.

Apud Plautum cum gerundivo tanquam appositione praedicativa haec conectuntur verba:

dare: Asin. II. 4, 38 (444) Scyphos quos utendos dedi... ib. IV. 1, 33 (778) Spectandum ne quoiquam anulum det neque roget. — Aul. II. 2, 73 (1251) Si hercle ego te non elinguandum dedero. Bacch. II. 3, 104 (338); Cist. I. 3, 18. 34; Curc. III. 70 (440); V. 2, 5 (603); Men. III. 3, 17 sq. (541 sq.); IV. 2, 94 (657); 96 (659); V. 1, 47 (733); Merc. II. 1, 14 (238); Mil. II. 6, 84 (567); III. 1, 208 (803); Pers. I. 3, 38 (118); 47. 48 (127. 128); III. 3, 35 (440); Poen. I. 2, 115 (338); V. 5, 23 (1302); Rud. III. 1, 10 (602). Passivam constructionem prae se ferunt haec:

Poen. V. 2, 58 (1018) Palas vendundas sibi ait et mergas datas.

Trin. V. 2, 7 (1131) Quod datum utendumst, repetundi id copiast quando velis.

adducere: Poen. III. 3, 23 (646) Hunc nunc, Lyce, ad te diripiundum adducimus.

Huius sententiae structura consulto relicta est anceps, ut et intellegi liceret ‚ut abs te diripiatur' et ‚ut te diripiat.'

conducere: Aul. III. 6, 31 (567) Caedundum illum ego conduxi.

locare: Aul. III. 6, 32 (568) Tum tu idem optimumst | Loces ecferendum. cf. ib. II. 2, 74 (252).

Capt. IV. 2, 39 (819) Qui locant caedundos agnos.

Pers. I. 3, 80 (160) praebenda (ornamenta) aediles locaverunt.

petere: Aul. II. 9, 3 (400) Ego hinc artoptam ex proxumo utendam peto.

rogare: Aul. I. 2, 18 (96) Quae utenda vasa semper vicini rogant.

Mil. II. 3, 76 (347) Nam ego quidem meos oculos habeo nec rogo utendos foris. cf. Asin. IV. 1, 33 (748).

venire (= offerri): Mil. III. 3, 14 (891) Ergo istuc metuo, quom venit vobis faciundum utrumque.

Verbum veniendi in eo numero esse, quae consilii vim continent, constat. Cf. Plaut. Bacch. IV. 3, 18 ,qui modo aurum petere hinc venerat' et Kühner II. 501 a.

Peculiare est hoc exemplum:

scire: Stich. I. 2, 30 (87) Multa scio faciunda verba: ibo intro.

Quem locum huc potius quam ad gerundivum attributivum referre malui permotus tum ea ratione, quod apud Plautum gerundivi usum attributivum nisi in verbis affectuum adhibitum inveni, tum eo, quod accusativus praedicativus melius quadrat ad sententiam, quam ita commode interpreteris: Multa scio verba tamquam faciunda, vel: ut a me fiant (quae faciam). Unum obstare videri possit, quod scire ex verbis, quae consilium significent, non sit. At structura illis formulis aequiperanda est, quibus verbum quod est habeo cum gerundivi accusativo et ipso praedicativo coniunctum invenitur, v. gr. Terent. Phorm. II. 3, 17 ibi agrum de nostro patre Colendum habebat. Tac. Dial. 31 dicendum habeo; (cf. apud Kühnerum II. 546 A. 4.) Quae locutiones, cum ambiguitatem quandam haberent, in vulgari eae quidem sermone, minus autem in elegantiore dicendi genere usu esse receptae videntur. Ex

reliquis verbis modo recensitis haec: petere, rogare, venire ab aureae aetatis scriptoribus ita non iunguntur [22]).

B.

Cyprianus gerundivi pro appositione praedicativa collocati haec praebet exempla:

**commendare:* De hab. virg. 194, 25 Petrus cui oves suas Dominus pascendas tuendasque commendat.
Sent. ep. 453, 6 sq. si maritus ... amico suo commendasset uxorem suam custodiendam [23]).

dare: De laps. 263, 11 distribuendum per apostolos totum dabant.
Epist. 489, 17 quam (epistulam) Crementio hypodiacono perferendam dedistis.

tradere: Epist. 552, 9 sq. qui se excruciandos et excarnificandos pro evangelio furentibus tradiderunt.

**exhibere:* Epist. 500, 20 nec — (epistulam) teneatis occultam, sed legendam fratribus exhibeatis.

**exponere:* Ad Demetr. 351, 11 cum et sanctum — iubeamur intra conscientiam nostram tenere nec inculcandum porcis et canibus exponere. cf. Cicero r. p. 1, 46 ad exemplum exponere.

mittere: Epist. 603, 9 quae ad te — legenda miseram. ib. 835, 20 quod (ministerium) — distribuendum misisti.

---

[22]) Vide de ea re praeter Kühnerum (II. 545, 4) et Drägerum (II. 823) Holtze, qui tamen nec venio nec reliqua plene recenset. Plura affert Krause (p. 38 sqq.), sed is immerito ad accusativum totam rem rettulit.

[23]) Sunt aliqui loci, quibus etiam verbum simplex, quod est *mandare*, cum gerundivo praedicativo coniunctum esse videatur. Ita de zel. et liv. 427, 14 sq. quid inter monita — custodiendum magis mandavit (Christus). Epist. 919, 19 quam (legem) martyres et confessores tenendam mandant. Verum ea exempla constructionis obiectivae, in qua copula esse omissa est, existimanda sunt. Mandare enim apud Cyprianum idem est ac praecipere, imperare, nec desunt exempla, ubi accusativus infinitivum copulae habet adiunctum, v. g. Epist. 712, 10 quod (Christus) faciendum esse mandavit.

***transmittere:* Epist. 543, 3 utrumque (scriptum) ad vos legendum transmisi. ib. 623, 17 quo (libellos) ad vos quoque legendos — transmiseram.

***offerre:* De cath. eccl. un. 232, 14 distribuenda in usus indigentium pretia apostolis offerebant.

***postulare*: Epist. 571, 15 sq. litteras ad me fecerunt, pacem non dandam sibi postulantes, sed quasi iam datam vindicantes. (cf. supra p. 55).

***praebere**: Quod id. d. n. s. 30, 12. agnoscendum se videntibus praebuit.

Epist. 489, 10 cum se episcopus per firmamentum fidei fratribus praebet imitandum.

***suggerere:* Epist. 546, 14 haec praecepta custodienda suggeritis (suggerere = suppeditare) cf. 318, 28; 655, 12; 468, 9.

Ex his verbis, quae asterisco notavi, nova accedunt ad ea, quorum Kühner et Dräger mentionem faciunt. Quamquam non omnia a primo Cypriano cum gerundivo praedicativo copulantur. ‚Praebere' quidem invenitur apud Plin. IX. 8 (8) se praebens tractandum; et Curt. IX. 5, 27 hortari eum coepit, ut se continendum praeberet, dum spiculum evelleret; ‚exhibere' in Suet. Cal. 22 se adorandum adeuntibus exh.; ‚transmittere' apud Verg. Aen. III. 329 me famulo famulamque Heleno transmisit habendam. ‚Postulare' autem et Plautina illa ‚petere et rogare' nihil inter se differunt. Praeterea vero quin similia tum apud aureae tum argenteae aetatis scriptores exstent, quae in libris grammaticorum desunt, mihi quidem dubium non est.

Quae cum ita sint, gerundivi praedicativi tractatione Plautus et Cyprianus, etsi ab aurea aetate nonnihil discrepant, ut plurimum tamen communem consuetudinem secuti in eodem fere gradu inter se propinqui consistunt.

IV.

De eo participii futuri passivi usu, quo gerundivi ac gerundii nominibus praeditum in varios casus obliquos inclinatur.

Iam ad eas huius formae grammaticae partes venimus, ubi aut cum substantivis coniuncta atque congruens aut ipsa absolute ad modum substantivi posita varios casus pervadit obliquos eorumque munera subit. Verum cum ne in hac quidem provincia non modo verbali vi, sed ne propria quidem illa natura, qua actionem futuram (utique late) significet, destituatur, perpetua quaedam inter eorum casuum et huius participii potestatem exoritur luctatio. Itaque id accidere videmus, ut varie variis temporibus, modo artius modo latius, eius usus limites determinentur. Itaque ex iis rebus quam fideliter quisque scriptor germanae atque incorruptae latinitatis speciem assecutus sit, iudicatur. Itaque quae de Plauto et Cypriano hac in re statuamus, inquiram oportet.

§ I. Genetivo gerundii et gerundivi quemadmodum Plautus et Cyprianus usi sint, exponitur.

Gerundium aut gerundivum in genetivo positum ad nomen aliquod determinandum valere inter omnes constat. Genetivum enim casum esse ‚determinationis adnominalis,' etsi non bene latine, recte tamen dicitur[24]), quippe cuius vis in eo sit, ut unum substantivum ad aliud, quod grammatice ei subiunctum est, referatur.

Iam ex iis, quae de gerundii et gerundivi notione verbali maximeque de necessitatis vel futuri significatione notavimus, efficitur ut cum iis nominibus, quae ad actionem quae fieri debet vel rem, in qua aliquid faciendum

[24]) cf. Weisweiler, Der finale genitivus gerundii (Köln, Progr. 1890) p. 3. Aliter iudicat B. Delbrück, Vergleichende Syntax I. § 69 et § 147, sed mihi non potuit persuadere.

est, respectum habeant, potissimum coniungantur. Quae quidem nomina relativa vocantur; eorumque pars maior genetivum obiectivum pars genetivum subiectivum, alia tales genetivos ad se adsumunt, quorum genera aut nomina apud grammaticos frustra quaesieris. Ceterum hoc quid attinet? Quandoquidem ne illud quidem genetivum obiectivum esse si cognoveris ad hanc rem penitus intellegendam magnopere confert. Proinde hoc loco iis terminis neglectis nomina a quibus genetivum gerundivi aut gerundii apta inveni, ita in certas classes conatus sum redigere, ut qualis in quaque cerneretur respectus ac ratio, accuratius indicarem [25]).

A.

De genetivi gerundii et gerundivi usu Plautino.

. 1. Nomina ea, quae apud Plautum cum genetivo gerundii aut gerundivi coniuncta exstant, enumerantur.

Plautus genetivum participii necessitatis a substantivis dumtaxat aptum fecit. Quae sunt haec:

a) Substantiva abstracta.

α) Substantiva, quae *facultatis* notionem habent (sive ea obiectiva rei capacitas sive subiectiva potestas et virtus est).

copia: (cum gen. gerundivi) Bacch. III. 3, 83 (487) Ut opinor illius inspectandi mi esset maior copia. — Capt. III. 5, 90 (748) eius conveniendi copiam Merc. V. 2, 9 (850) (idem) Truc. II. 4, 19 (370) tui videndi copiast.

(cum gen. gerundii): Ep. I. 2, 59 (162) Non — tibi dormitandi neque cunctandi copiast. Mil. IV. 6, 11 (1226) copia adeundi atque impetrandi.

Rud. III. 4, 60 (765) si quidem in capite tuo conflandi copiast.

[25]) Ita iam a Krausio l. l. factum est meliusque huic disciplinae consultum esset, si grammatici omnes hanc genetivi partem verbalem, ut ita dicam, minus ad nominalis genetivi ordines coercerent.

Trin. V. 2, 7 (1131) repetundi id copiast. Capt. IV. 2, 72 (852).

locus (cum gen. gerundii): Capt. II. 1, 18 (212) Aequiter nobis detis loquendi locum.

occasio (cum gen. gerundii): Amph. IV. post sc. 2 frgm. XV. abitendi nunc tibi etiam occasiost. Capt. I. 2, 8 (117) Epid. II. 2, 86 (291) Trin. IV. 2, 156 (998).

spatium (cum gen. gerundii): Aul. IV. 10, 76 (806) nunc interim spatium ei dabo exquirendi Meum factum ex gnatae pedisequa nutrice anu. Capt. III. 5, 69 (743).

tempus (cum gen. gerundii): Poen. III. 4, 30 (741) Tacendi tempus est. Bacch. IV. 6, 4 (772) nunc est mihi Adeundi ad hominem tempus. Merc. V. 2, 75 (195); Pers. IV. 2, 8 (469 ; Trin. IV. 4, 31 (432); IV. 2, 156 (998).

potestas (cum gen. gerundivi): Amph. II. 2, 8 (638) viri mei fuit mi potestas videndi. Mil. IV. 2, 19 (1010). Truc. II. 2, 38 (293) quasi vero corpori reliqueris Tuo potestatem coloris ulli capiendi mala.

(cum gen. gerundii): Epid. I. 1, 14 (15) Vix apiscendi potestas modo fuit. Stich. I. 2, 60 (117) Quoi male faciundist potestas. ib. II. 1, 7 (280) Nunc tibi potestas adipiscundist gloriam, laudem, decus.

β) Substantiva cum appetendi aut fugiendi significatione:

lubido (cum gen. gerundii): Trin. III. 3, 17 (745) huic ducendi interea apscesserit Lubido.

optio (cum gen. gerundii): Cas. II. 2, 16 (190) Nec mihi ius meum optinendi optiost.

spes (cum gen. gerundivi): Rud. IV. 4, 101 (1145) Huc opesque spesque vostrum agnoscendum condidi.

γ) Substantiva, quae causam ac finem indicant:

causâ (cum gen. gerundii): Men. IV. 3, 13 (687) Neque edepol te defraudandi causa posco.

gratiâ (cum gen. gerundii): Curc. V. 3, 28 (706) Dicundi, non rem perdundi gratia haec (sc. lingua) notast mihi.

δ) Substantiva, quae incipiendi et finiendi vel similem notionem habent:

compendium (cum gen. gerundii): Pseud. II. 2, 11 (605) Quisquis es, compendium ego te facere pultandi volo.

satietas (c. gen. gerundii): Poen. I. 2, 6 (215) Neque eis ulla ornandi satis satietas est.

ε) Substantivum, quod viae ac rationis vim prae se fert:

via (c. gen. gerundii): Poen. III. 3, 16 (629) Ego male loquendi vobis nescivi viam.

ζ) Substantiva, quibus generis aut partis vis subest:

exemplum (cum gen. gerundii): Mil. III. 1, 43 (638) Ut apud ted exemplum experiundi habeas, ne quaeras foris [26]).

pars (cum gen. gerundii): Asin. III. 1, 14 (515) Et meam partem loquendi et tuam trado tibi.

η) Substantivum, quod virium contentionem in opere positam significat:

labor (c. gen. gerundii): Pseud. I. 1, 4 (6) Duorum labori ego hominum parsissem lubens: | mei te rogandi et tis respondendi mihi.

ϑ) Substantiva, quae quasi materiam rei agendae indicant:

exercitus (c. gen. gerundii): Capt. I. 2, 50 (153) Quia nunc remissus est edundi exercitus (‚Esscontingent' Brix 14).

Ita Ergasilus parasitus cibos appellat. Uti enim exercitu dux indiget ut bellum gerat, ita parasitus cibis ut edat. Licet voci exercitus per se magis notio instrumenti quam materiae subsit, hoc tamen loco posterior significatio intellegenda est, atque eo comparatio fit ridicula.

sermones (cum gen. gerundii): Poen. prol. 34 Canora hic

---

[26]) ‚Exemplum experiundi' nolim idem valere putetur, quod ‚exemplum experientiae factae' vel ‚exemplum experiundo comparatum.' Nam non secus ac v. gr. ‚docendi exempla' (= Lehrproben) sunt exempla, quibus doceatur, ita exemplum experiundi est exemplum, quo quid experiaris (= Beisp., einzelner Fall eines zu machenden Versuches); atque ita rem esse ex iis, quae sequuntur, manifestum fit ‚ne quaeras foris' sc. exemplum, quo rem experiaris.

voce sua tinnire temperent (matronae), Domum sermones fabulandi conferant.

Versus, qui Plautinus dici vix potest[27]), ita explicatur: matronae sermones dicuntur ita conferre, ut earum fabulatio, si hac voce uti mihi licet, e variis sermonibus quasi contexatur.

b) Substantivum concretum unum:

fictor (c. gen. gerundivi): Trin. II. 2, 86 (366) Multa illi opera opust ficturae, qui se fictorem probum Vitae agundae esse expetit.

Haec ea sunt substantiva, quae cum genetivo gerundii aut gerundivi a Plauto coniuncta inveni[28]). Qui numerus, si cum Cicerone comparetur, exiguus est, neque ex eo frequentiorem in usum venerunt nisi haec: copia, occasio, tempus, potestas.

Iam si eorum nominum naturam consideremus, affinitas quaedam cum iis verbis, quae ex se imperfectae significationis infinitivo complentur ut posse, velle, expetere, finire, desinere alia adesse conspicitur. Quin etiam ex ipsis his substantivis aliqua, imprimis modus, tempus, occasio, locus, lubido, cum verbum est vel datur accessit, a Plauto cum infinitivo coniunguntur. De qua re vide Krausium p. 22 sq.; praeterea interdum sententiae consecutivae ut particula formatae leguntur, quas idem ibidem p. 25 sq. tractat. Id autem propterea monendum est, quia inde vera gerundii vis, quae de re futura est, etiam in genetivo vigere intellegitur. Ceterum pro ea re exempla allata ipsa loquuntur.

2. Ipsas huius participii formas tum personalem tum impersonalem quemadmodum in genetivo Plautus tractaverit exponitur.

Saepius gerundio Plautus quam gerundivo usus est. Nam e quadraginta septem exemplis decem sunt gerundiva, quae antea cum exempla proponerem, a reliquis

---

[27]) Conferantur ea, quae a Götzio et Löwio in huius fabulae editione ad prologi initium adferuntur.

[28]) Ex iis desunt apud Drägerum (II. 825): compendium, satietas, via, exemplum, pars, labor, exercitus, sermones, fictor.

distincta sunt. Ad ea numero fere accedunt ei loci, quibus ad gerundium obiectum additum est.

Sunt enim septem hi:

Capt. III. 6, 69 (743) spatium perferundi *quae minitas* mihi.

Cas. II. 2, 16 (190) *ius meum* optinendi optiost.

Curc. V. 3, 23 (706) Dicundi, non *rem* perdundi gratia.

Men. IV. 3, 13 (687) *te* defraudandi causa.

Pseud. I. 1, 4 (6) labori — *te* rogandi.

Stich. I. 2, 60 (117) potestas adipiscundist *gloriam*, laudem, decus.

Trin. V. 2, 7 (1131) repetundi *id* copiast.

Primum exemplum et ultimum, quibus neutrum pronominis pro obiecto ponitur, gerundivum aegre admittebant; in Sticho (117) fortasse, quia plura erant obiecta, nimis multi genetivi molestiam metro praesertim creassent; in Curculione (706) concinnitatis ratio intercessisse videtur, ut post gerundium dicundi non rei perdendae, sed rem perdundi gratia diceretur. Reliqua sola libidine poetae pro gerundivo eiecta sunt.

Porro unus exstat apud Plautum locus, qui singularem illam structuram prae se fert, ut cum gerundii genetivo obiectum non in accusativo, sed in genetivo plurali componatur:

Capt. IV. 2, 72 (852) Nominandi istorum tibi erit magis quam edundi copia.

Cui exemplo Krause p. 30 et Holtze II. p. 54. Dräger II. 832 alterum Plauti locum ex eadem fabula sumptum V. 4, 11 (1008) ‚Quia mi item ut parentes lucis das tuendi copiam‘ addunt; sed immerito. Plauto enim vocabulum lux saepe masculinum est [29]). – Iam ex aliis scriptoribus Terentius (Heaut. 29) et Lucretius (V. 1223) singula praebent exempla, Varro duo (r. r. II. 1, 3 et V. 7 [30]); saepius Cicero ea structura est usus, cum Caesar, Sallustius,

[29]) Confer Aul. IV. 10, 18; Cist. II. 1, 49; et Brix ad Capt. 1005. — Sed aliter Ussing ad Capt. 1003 (p. 522) comparans inter alia ex Ennii Medea (v. 207): ‚Neve inde navis inchoandi exordium.‘

[30]) Alterum hoc Heidrich a se inventum addit (Varroniana I. p. 16).

Livius ea abstineant. Denique posteriore aetate hinc inde eam offendas[31]; a Cypriano autem nusquam adhibita est. Ex variis eius constructionis explicationibus[32], quas omnes recensere e proposito mihi non est, eam amplector, quam Weisweiler proponit. Is enim (l. l. p. 98 sq.) in hac re diiudicanda primum duas res quam maxime prae oculis habendas esse statuit, tum huic constructioni nisi in genetivo tum nisi in verbis transitivis locum non esse ita, ut latine neque ‚generando animalium' neque ‚litterarum causa studendi' dici possit. Ex his enim — praeter alias rationes — et eorum sententia, qui ipsi gerundio vim substantivi unde genetivus suspensus sit, tribuunt et eorum, qui gerundium cum nomine, unde ipsum aptum est, in novum quoddam quasi substantivum compositum coniungi, unde genetivus pendere possit, excluditur. Porro cum verba transitiva in passivum convertantur, eam ait Latinae linguae indolem esse, ut cum antea emineret verbum, eius autem obiectum minus conspicuum esset, nunc subiectum ex obiecto factum principem quasi in mente et oratione locum obtineat. Ita v. gr. in his verbis ‚beneficiorum s. acceptorum sive accipiendorum gratia,' de beneficiis primum ac potissimum cogitari, deinde de participio passivo adiuncto. Atque eodem modo in genetivi gerundii constructione statim ab initio praeverti atque praecipi id quod debuit esse verbi obiectum; quo facto ipsum verbum aut in gerundivo positum suo subiecto subiungi aut, si quis ipsam etiam actionem eminentiorem facere velit, absolute in gerundii forma addi posse. Iam ea si ad Plautinum hunc locum applicamus res optime cadit. Hegio enim parasito, si ipsam rem spectemus, hoc respondet: Istorum (sc. ciborum) apud me copia non est. Sed facete sententia paululum mutata concedit istorum copiam esse apud se, verum nominandi

---

[31]) cf. Dräger II. p. 831. Kühner II. p. 555, 10. Weisweiler p. 96. Brix ad Capt. 849.

[32]) Adeas si velis praeter Weisweilerum, qui praecipuas sententias p. 96—101 tractat, praesertim Weissenbornium, qui p. 119 sqq. antiquiores recenset, deinde Reisig-Haase III. § 439 Adn. 595. Kühner II. 556. Dräger II 799 alios.

magis quam edundi copiam. Ad utrumque vero per se efferendum ea structura, quam elegit, alia aptior erat nulla. Idcirco neque gerundiva edundorum et nominandorum adhibuit neque de gerundio cum obiecto ne cogitavit quidem poeta.

De verborum collocatione haec digna sunt, quae notentur. Gerundivum a Plauto novies substantivo suo postponitur, semel praemittitur; nomen autem, unde genetivi pendent, ter ante hos, quinquies post collocatur, semel interponitur. Genetivus gerundii substantivum suum vicies semel praecedit duodecies sequitur; obiectum autem si accedat, mediam inter hoc et substantivum regens partem occupat gerundium, nisi quod semel mediam ipsum obiectum tenet. In his autem ea lex, licet non sit stricta, videtur vigere, ut genetivus tum potissimum, cum maioris est momenti aut extensionis, nomini suo postponatur. Praeterea obiectum a gerundio nunquam fere voce interposita separatur, inter nomina autem et genetivos sive gerundivi sive gerundii breves saepe voculae ut copula, pronomina, adverbia inseruntur, quod idem in gerundivo eiusque nomine valet.

Haec, quae de Plauti verborum collocatione dixi, apud Cyprianum ex parte aliter se habere statim videbimus.

B.

Cyprianus quomodo genetivo gerundii et gerundivi usus sit.

Convenit cum Plauto Cyprianus primum eo, quod genetivum participii futuri passivi aptum non fecit nisi e substantivis iisque ut plurimum relativis. Eadem etiam genera, quae apud illum sunt, apud hunc recurrunt, sed alia praeterea et in singulis nomina plura continentur. In quibus discribendis eum ordinem, quem res ac ratio suppeditare videbantur, secutus paululum ab serie antea in Plauto servata discessi, ita tamen, ut qui ubique numeri respondeant, notaverim.

1. Substantiva, a quibus Cyprianus genetivum participii futuri passivi aptum fecit, enumerantur.

a) Substantiva abstracta.

α) Substantiva, quae capacitatis vel facultatis tum obiectivae tum subiectivae vim prae se ferunt. (Vide de Plauto sub littera eadem).

facultas: Epist. 498, 2 facultatem nocendi.

ib. 523, 17 quoniam video facultatem veniendi ad vos nondum esse.

ib. 627, 4 cum data esset facultas in unum conveniendi. 817, 2 erat — transeundi facultas. 830, 16 facultas — offerendi et celebrandi divina sacrificia.

**opportunitas et facultas* Epist. 647, 24 si tibi veniendi ad nos opportunitas et facultas fuerit.

occasio (cum gen. gerundivi) Epist. 625, 24 quoniam repetendi certaminis et reparandae salutis dabatur occasio.

tempus: Ad Don. 3, 2 reddendi tempestivum prorsus hoc tempus est.

cf. 22, 8 imperandi tempus.

**hora*: De laps. 244, 11 corona de Dei dignatione descendat nec possit accipi nisi fuerit hora sumendi.

**terminus*: Epist. 503, 12 cum accedit et moriendi terminus, consummata martyrii gloria est.

**aeternitas*: De mort. 313, 26 qualis illic caelestium regnorum voluptas sine timore moriendi et cum aeternitate vivendi quam summa et perpetua felicitas!

locus: Epist. 517, 17 dissimulandi nunc locus non est.

**aditus*: Epist. 479, 11 ne ex hoc ipso invidia concitetur et introeundi aditus denegetur.

cf. Nep. Them. 2, 1 primus gradus capessendae rei publicae.

(*via*: Epist. 647, 4).

licentia: De cath. eccl. un. 226, 13 (Cor. et Dathan et Abiron) sibi sacrificandi licentiam vindicare conati sunt.

cf. Epist. 737, 14; 757, 3. 19. 25; 784, 8.

potestas (cum gen. gerundivi): Epist. 667, 14 actum est ... de ecclesiae gubernandae sublimi ac divina potestate.

ib. 752, 5 baptizandi atque abluendi hominis potestas.

cf. 771, 16; 821, 4 potestas ergo peccatorum remittendorum apostolis data est.

(c. gen. gerundii): Sent. Episc. 436, 9 sqq. qui unus et solus (Christus) habet potestatem et praeponendi nos in ecclesiae suae gubernatione et de actu nostro iudicandi; ib. 444, 4 (baptizandi p.)

Epist. 498, 17; 565, 15 describendi potestas; 738, 1 pot. vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi; 756, 10; 814, 30 qui et baptizandi et manum imponendi et ordinandi potestatem possident.

**libra* (= potestas) cum gen. gerundivi: Epist. 744, 16 qui . . . gubernandae ecclesiae libram tenentes sic censuram rigoris peccatoribus exhibemus, ut . . .

**titulus* (cum gen. gerundivi): Epist. 553, 4 ecce iterum cum confessione geminatus promerendi Dei titulus (Rechtstitel, Anspruch auf Verdienst bei Gott, auf Lohn).

De significatione vocis haec conferre iuvat:

828, 11 tituli meritorum ampliores.

238, 26 primus est victoriae titulus cui deinde respondet ‚secundus ad gloriam gradus.‘

β) Substantiva, quae necessitatem, legem statutumve, ex quo aliquid fiat, significant. (Apud Plautum nulla inveniuntur).

**necessitas* (cum gen. gerundivi): Epist. 553, 4 quamquam nobis differendae huius rei necessitas maior incumbat.

(cum gen. gerundii): Sent. episc. 436, 4 tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adegit.

Epist. 797, 2 hoc ipso magis ad necessitatem veniendi adiguntur.

**sors* — **condicio*: Ad Demetr. 356, 17 cum sit vobis eadem sors nascendi, condicio una moriendi.

cf. ibid. 18 sqq. corporum materia consimilis, animarum ratio communis, aequali iure et pari lege vel veniatur in istum mundum, vel de mundo postmodum recedatur.

**lex*: De cath. eccl. un. 221, 20 (Christus) cum orandi legem daret addidit dicens: cum steteritis etc.

cf. Inst. iur. civ. 2, 3, 8 parendi legem dicere.

**foedus iusque*: Ad Don. 10, 9 (videre) contra foedus iusque nascendi patientiam incestae turpitudinis elaboratam.

cf. Liv. IV. 15, 3 pactio recipiendorum in urbem regum.

**poena* (cum gen. gerundivi): Ad Fortun. 339, 16 poenam linguae exsecandae iam didicerat a fratre contemnere.

γ) Substantiva, quae causae vel momenti habent notionem (De Plauto vide sub ead. litt. γ):

causa: De zel. et liv. 422, 6 quod Joseph fratres sui vendiderunt, causa vendendi de aemulatione descendit.

Epist. 586, 5 remansit invitus; sed remanendi — haec fuit causa.

ib. 660, 3 cum pereundi causa sit propter Christum perire.

683, 14 sq. causa veniendi et pseudoepiscopum contra episcopos factum nuntiandi. 697, 7 causa veniendi ad nos.

Differt ab his exemplis unus locus, ubi ablativus causâ legitur; illi enim genetivi obiectivi, hic genetivus, qui a causa ablativo pendet, subiectivus est:

Epist. 486, 2 quem permisit Deus in saeculo colluctandi causa adversarium simul cum servis suis.

**fomes* (= Anlass, Ursache): De laps. 247, 12 qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat.

**scrupulus*: Epist. 602, 14 qui . . . omnem ambigendi et discrepandi scrupulum sustulerunt.

δ) Substantiva cum appetendi aut fugiendi notione. (cf. de Plautino usu sub litt. β).

consilium (cum gen. gerundivi): Epist. 523, 16 si a vobis instructi rerum gerendarum consilium (sc. nostrum) limare possimus.

**fides*: Epist. 501, 13 sine cessatione poscendi et cum fide accipiendi — D. deprecemur.

cf. Caesar b. c. II. 28 fiducia rei bene gerundae; alium intellectum habet, quod legitur apud Vell. 58, 3 fidem descendendi tuto dedit.

**frons* (= audacia): Epist. 686, 7 neque enim potest illis frons esse ad nos accedendi aut apud nos consistendi.

**invidia*: Epist. 797, 18 invidia quadam quasi rebaptizandi baptizare post hostes Dei nefas ducitur.

libido: De hab. virg. 194, 11 si concupiscendi libidinem nutrias.

pudor: Ad Demetr. 357, 24 quia nullus iam delinquendi vel pudor est.

spes: Epist. 556, 10 cum spes vivendi secundum hominem nulla substiterit.

ib. 644, 16 lamentandi ac satisfaciendi spes relinquitur.

studium (cum gen. gerundivi): Epist. 686, 17 studio et voto conligandae fraternitatis.

(cum gen. gerundii) Ad Don. 12, 15 nos videamur ... studio destruendi per ea oculos tuos ducere, quorum tristis adque aversandus aspectus ora ... offendat. De hab. virg. 200, 1 per placendi studium. Ad Demetr. 351, 15 cum ad me saepe studio magis contradicendi quam voto discendi venires.

**votum* (= desiderium) (cum gen. gerundivi): Epist. 619, 12 quam (persecutionem) iste (Novatus) voto quodam evadendae et lucrandae damnationis excipiens haec omnia commisit. cf. ib. 686, 17.

(c. gen. gerundii) Ad Demetr. 351, 15 voto discendi.

timor: De mort. 313, 26 qualis illic caelestium regnorum voluptas sine timore moriendi. — cf. tamen eandem vocem aliter relatam sub litt. ι) p. 62.

ι) Substantiva, quae animi affectiones ad certa actionum genera aptas vel pronas significant. (Nihil huiusmodi est apud Plautum).

**calliditas*: Ad Don. 13, 1 ubi in letales sucos dulcedine aspersa calliditate fallendi sapore medicato poculum videtur esse.

**fallacia* (c. gen. gerundivi): De cath. eccl. un. 210, 2

ea est eius (serpentis) semper astutia, ea est circumveniendi hominis caeca et latebrosa fallacia.

constantia et fiducia: Ad Fortun. 324, 1 nec difficile est Deo confessori suo inspirare constantiam et fiduciam loquendi.

**substantia* (= constantia v. virtus): De bono pat. 408, 3 tolle illi (caritati) patientiam et desolata non durat, tolle sustinendi tolerandique substantiam, et nullis radicibus ac viribus perseverat.

**lenitas* (cum gen. gerundivi): De zel. et liv. 431, 19 lignum (crucis) — proficiat ad mulcendi pectoris lenitatem.

**misericordia* (cum gen. gerundivi): De zel. et liv. 431, 3 qui ad pauperum fovendorum misericordiam pronus est, retributionem thesauri caelestis adipiscitur.

patientia: Epist. 807, 17 qui est ad discendi patientiam lenis et mitis.

**obsequium* (cum gen. gerundivi): Epist. 792, 7 cuius voluntatem usque ad obsequium bibendi calicis et subeundae mortis impleverit.

ζ) Substantivum materiae notione praeditum (cf. supra de Plauto sub litt. ϑ):

**materia*: Ad Don. 4, 9 materia dicendi facit mecum.

Epist. 688, 4 (ut) Novatiano declamandi adversum nos adque increpandi largior et plenior materia praestetur.

η) Substantiva, quibus auxilii et subsidii similesve rei subest significatio (apud Plautum nulla exstant exempla):

fundamenta
**firmamenta*
**nutrimenta*
**gubernacula*
praesidia

(c. gen. gerundivi): De dom. or. 267, 3 sqq. evangelica praecepta sunt ... fundamenta aedificandae spei, firmamenta conroborandae fidei, nutrimenta fovendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, praesidia obtinendae salutis.

**faenus*: Ad Don. 14, 21 faenore quodam nocendi quam fuerit amplior dignitatis summa et honorum, tam maior exigitur usura poenarum.

**fomenta*: De hab. virg. 194, 12 sperandi fomenta succendas.

**medella* (cum gen. gerundivi): De zel. et liv. 431, 19 nec ad medellam prosperandae valetudinis laborabis.
**subsidia*: De op. et clem. 378, 17 quae laborantibus viduis largita fuerat subsidia vivendi.
**utilitas* (cum gen. gerundivi): Epist. 628. 14 conligandae fraternitatis ac medendi vulneris utilitas exigebat.
**venena* (cum gen. gerundivi): Epist. 781, 14 haereticorum pestes et gladii ac venena subvertendae veritatis.

ϑ) Substantiva, quae initium, finem, pausam agendi similia significant (cf. de Plauto litt. δ):

initium } Epist. 542, 12 inde initia felicia pugnandi
**auspicium* } orta sunt, inde vincendi auspicia coeperunt.
**cessatio*: Epist. 501, 13 sine cessatione poscendi — simplices et unanimes Dominum deprecemur.
celeritas: De mort. 306, 22 tormenta iam non timet delicata matrona metum persecutionis et manus cruciatusque carnificis moriendi celeritate lucrata (lucrari = praevertere).
**velocitas*: Ad Fortun. 347, 10 tam feliciter migrandi quanta velocitas.

Epist. 496, 18 adeptus gloriam non termino supplicii sed velocitate moriendi.

**dissimulatio* } Ad Demetr. 358, 22 praedandi dissimulatio
cunctatio } nulla, nulla cunctatio (dissimulatio = Vernachlässigung, Unterlassung). Sed haec omnia proximo generi iam sunt affinia.

ι) Substantiva, quibus laboris ac contentionis vis subiecta est (cf. de Plauto litt. η).

**certatio* (cum gen. gerundivi): De hab. virg. 191, 16 vincendi corporis ac domandi obstinata certatio.
cura (cum gen. gerundivi): De hab. virg. 201, 4 mihi tantum reficiendi corpusculi cura est et lavandi.

Epist. 617, 16 quomodo adsumit sibi regendae aut gubernandae ecclesiae curam.

**timor* (= anxia cura atque circumspectio): De hab. virg. 189, 1 (Dominus) dat vivendi timorem, dat innocentiae legem. (cf. eandem vocem cum alia significatione sub litt. δ).

patientia: Epist. 807, 17 p. discendi.

κ) Substantiva, quae viam ac rationem aut genus agendi declarant:

via (cum gen. gerundivi): De op. et clem. 373, 20 nisi iterum pietas divina . . . viam quandam tuendae salutis aperiret.

Epist. 522, 16 ut commendatas sibi oves . . . divino magisterio ad viam deprecandae salutis instruent.

(cum gen. gerundii): Epist. 582, 12 dum adversarium vincit, vincendi ceteris viam fecit. cf. ib. 615, 21; 647, 4 (iter doloris ac paenitendi viam).

ratio (cum gen. gerundivi): Epist. 517, 19 qui dum sine ratione restituendae salutis plausibiles esse cupiunt, magis lapsis obsunt.

**ritus*: Q. idol. dii n. s. 21, 1 inde colendi et sacrificandi ritus inolevit.

forma: De dom. or. 267, 15 Qui . . . orandi ipse formam dedit.

**ordo*: Testim. 53, 7 nascitur Samuel, non secundum generandi ordinem.

**curricula*: De hab. virg. 188, 18 Paulus in epistulis suis dicit, quibus nos ad curricula vivendi per divina magisteria formavit.

**compendium*: Epist. 676, 24 sqq. placuit tibi scribere ut erroris diluendi ac perspiciendae veritatis compendium fieret et scires tu et collegae nostri, quibus scribere . . . oporteret. (Compendium idem sonare videtur quod doctrina, institutio, Germanice ‚kurze Anleitung, Schema').

genus: Ad Don. 12, 2 multiformi genere peccandi per improbas mentes nocens virus operatur. cf. Ad Fortun. 317, 23 omnia genera temptandi.

artes et **insidiae*: et artes atque insidias deiciendi usu ipso vetustatis (diabolus) didicit.

exemplum (= imago, Exemplar; Muster, Vorbild) Ad Fortun. 330, 17 quod exemplum perseverandi et permanendi designavit in Exodo, ubi Moyses ad superandum Amalech . . . adlevabat supinas manus.

Huc etiam duo pertinent nomina, quae qualitatem modumque actionis magis certum declarant:

**honor et laus*: De zel. et liv. 429, 16 sq. ut in te divina nativitas luceat, ut ad patrem Deum deifica disciplina respondeat, ut honore et laude vivendi Deus in homine clarescat (durch eine ehrenwerte und lobwürdige Führung des Lebens). cf. Cic. off. I. § 71 laus rei publicae administrandae.

λ) Supersunt duo substantiva, quae a ceteris eo discrepant, quod non rem agendam spectare sed rei iam actae quasi effectum videntur designare ita, ut genetivus gerundii notione consilii vel futuri amissa causae vel originis appareat. Unum est

**fructus*: Ad Demetr. 363, 24 ille maeret et deflet, si sibi male sit in saeculo . . . cuius vivendi fructus omnis hic capitur.

Revera haec obviam aspecta sic interpreteris, ut vivendi fructum' eum esse dicas, quem vita tamquam emolumentum ferat atque capiendum offerat.

Et simile est alterum exemplum scilicet:

**vulnus*: De laps. 260, 1 ecce peiora adhuc peccandi vulnera, ecce maiora delicta: peccasse nec satisfacere, deliquisse nec delicta deflere [38]). Ubi peccandi vulnera ea quae commissis peccatis quasi inflicta accipiantur, commode intellegas.

b) Substantiva concreta.

Haec pauca sunt omniaque artis aut efficientiae notionem prae se ferunt. Exempla, quae paenultimo excepto ad gerundivum pertinent, sunt haec:

artifex: De eccl. cath. un. 219, 1 (quos designat Sp. s.) serpentis ore fallentes et corrumpendae veritatis artifices.

auctor: Epist. 484, 4 ne . . . simus auctores rumpendae pacis, qui nos magis quieti omnium consulere debemus.

---

[38]) Hartel post priorem vocem ‚delicta' non interpunxit, sed ita scribit: ecce peiora adhuc peccandi vulnera, ecce maiora delicta peccasse nec satisfacere, deliquisse nec delicta deflere.

magister: De Mort. 300, 18 Christum credendi magistrum.
— ... et *doctor*: Epist. 467, 16 (histrio quidam) magister et doctor non erudiendorum sed perdendorum puerorum.

Adiectiva cum genetivo gerundii aut gerundivi neque a Plauto neque a Cypriano coniungi iam dictum est.

Iam si substantiva modo enumerata cum iis, quae apud Drägerum (l. l. II. p. 825 sqq.) ex aureae et argenteae aetatis scriptoribus recensentur, contulerimus, duae fere partes — singula asterisco a me notata sunt — nova esse deprehendentur. Quorum licet fortasse aliqua iam ante Cyprianum in usu fuerint, non pauca tamen certe ab eo primo ad gerundii usum sunt conversa. Id autem ut faceret, partim rerum, quae ei describendae erant, novitas ac librorum sacrorum, ex quibus omnem fere doctrinam suam haurit atque proponit, a Latinis litteris diversitas, partim temporum ratio et linguae vitiis infectae corruptio in causa fuisse reperiuntur. Ex priore fonte non solum varia substantiva cum gerundii genetivo composita, ut hora, aeternitas, libra, substantia, fomes, misericordia, sed ipsi etiam genetivi saepius repetiti ut vivendi, moriendi, promerendi alii promanarunt[34]. Ex altero autem verba quaedam audacius ad eam significationem, vi cuius genetivum gerundii ad se adsumerent, translata, cuiusmodi sunt faenus, frons, scrupulus, vulnus, venenum, votum similia, quasi originem ducunt[35]. Contra vero tumoris Africi illius, qui in eo consistebat, ut substantiva cum genetivis eiusdem notionis componerentur[36]), indicia apud Cyprianum hoc quidem capite non inveniuntur. Ne-

[34]) Quam multa a Cypriano verba aut nova in usum inducta aut vetera ad novas significationes conversa sint, testimonio est index Hartelianae editioni subiectus. Praeterea de ea re confer Gölzer, De la Latinité de Saint Jérôme (Paris 1884) Introduct. p. 20 sqq. Paucker l. l. passim. Sittl, Die lokalen Verschiedenheiten der lat. Spr. (Erlangen 1882) p. 140 sqq. maxime vero Rönsch l. c. et Kaulen l. l.

[35]) Tametsi vel huius rei exemplum excidit Ciceroni in epistula ad fam. XVI. 24, 1 ‚prora et puppis a me tui dimittendi' (= erster und letzter Beweggrund). cf. Dräger l. l. II. p. 826.

[36]) cf. Schmalz, Lat. Syntax p. 266 adnot. 3. Reisig-Haase III.

que enim v. gr. talia cuiusmodi sunt ,calliditas fallendi,' ,fallacia circumveniendi,' ,misericordia pauperum fovendorum,' ,substantia sustinendi,' ,scrupulus ambigendi,' ,mulcendi pectoris lenitas,' quamquam ex parte nimia quadam abundantia laborant, in eo genere recensenda sunt. Sunt enim Latina ac ne a Cicerone quidem aliena, tumor vero ille Semiticae linguae et indolis refert similitudinem. Sed vide Sittelium, qui et ipse Cyprianum optimum post Lactantium scriptorem saeculi tertii esse statuit. — Ceterum similibus vocibus cumulandis Plautus prae ceteris eminet, id quod ad popularem sermonem imitandum pertinet [37]).

Haec de substantivis, quae Cyprianus cum genetivo gerundii et gerundivi coniungit. Iam has formas ipsas consideremus.

2. Ipsas gerundii et gerundivi formas quemadmodum Cyprianus in genetivo tractaverit explicatur.

Etiam Cyprianus gerundium multo saepius quam gerundivum in genetivo, illud in nonaginta exemplis, hoc triginta fere locis adhibuit; gerundio autem obiectum rarissime — quattuor numeravi locos p. 436, 9; 683, 14; 738, 1; 814, 30 — subiunxit. Semel (Sent. episc. 436, 9 habet potestatem et praeponendi nos in ecclesiae suae gubernatione et de actu nostro iudicandi) obiectum est pronomen personale. Altero loco (Epist. 683, 14 causa veniendi et pseudoepiscopum contra episcopum factum nuntiandi) obiectum longiore appositione amplificatum, nisi cum molestia in genetivo poni non poterat. Tertio (Epist. 738, 1 potestatem vel eligendi dignos sacerdotes vel indignos recusandi) et verba et obiecta inter se opponuntur, id quod chiasmo quoque indicatur. Praeterea scriptor, ne nimis multi genetivi in -orum desinerent, videtur cavere voluisse. Atque eam rationem solam ultimo loco (Epist.

---

§ 438, 3 (p. 782), praesertim vero Sittl l. l. p. 92 sqq. Kaulen, Handb. z. Vulgata p. 234, ubi hoc refertur exemplum: Matth. 11, 15 qui habet aures audiendi, audiat.

[37]) cf. v. gr. Brix ad Trinummi v. 826. 1096; Capt. 408. 639. 645. 997 alios locos.

830, 11 facultas offerendi et celebrandi sacrificia divina), ut videtur, spectavit. Magis igitur Cyprianus quam Plautus ab gerundii genetivo quidem cum obiecto coniungendo abhorret; in eaque re veram Latinae linguae secutus est naturam. In collocatione vero verborum quam maxime discrepat a Plauto. Nam gerundivum, si quinque locos (p. 339, 16; 373, 20; 431, 3; 467, 16; 667, 14) exceperis, genetivo substantivi praeponit atque nulla voce interiecta copulat; substantivum autem, a quo hi genetivi pendent, modo facit ut antecedat, modo ut subsequatur. Atque etiam gerundium nomini suo ita aut postponitur, aut praemittitur, ut utriusque collocationis par habendus sit numerus neque discrimen significationis vel alterius generis afferri possit, nisi quod saepe substantivum quam genetivus verbo finito propinquius esse collocatum videtur. Ac ne hic quidem Cyprianus, quod apud Plautum sollemne erat, genetivum a nomine suo aliis verbis separare consuevit. Plautus enim ut poëta liberiore quodam modo verba collocavit, Cyprianus qui genetivo gerundii quam maxime ad varias notiones novas formandas definiendasque utitur, ea quae mente sociantur oratione quoque iungere studet. Quae hic de verborum collocatione exposui, cum aureae aut argenteae aetatis scriptoribus ideo comparare non potui, quia qui de eorum gerundii et gerundivi usu egerunt, hanc rem tractare non solent [38]).

Haec fere habui quae dicerem de genetivo gerundii et gerundivi, nunc dativum quemadmodum uterque scriptor usurpaverit, videamus.

---

[38]) Ex iis, quos ipse vidi, unus excipiendus est Stitz. qui in Sallustianum gerundii et gerundivi usum inquisivit (Über das Gerundium im allgemeinen und seine Verwendung bei Sallust, Krems 1889). Is in extrema commentatione (p. 34) praecipuas quasdam res a se observatas collegit.

§ 2. Dativus gerundii et gerundivi apud Plautum et Cyprianum quam late pateat varieque differat ostenditur.

Participium futuri passivi cum vi sua dativi muneri in se suscipiendo par omnino esset, tamen in hoc casu minus saepe quam in ceteris usurpari solebat. Sed id inde explicatur, quod tertii casus usus atque ambitus universus non tam late quam reliquorum, saltem apud antiquiores usque ad Livium scriptores, patebat. Et ut in hac re maneamus, pro dativo gerundii accusativus, qui a praepositione ad pendens similem prae se ferebat significationem, ut plurimum adhibebatur. Idem in his quoque, quos tractamus, scriptoribus locum habet. Neque tamen desunt exempla, ubi dativo gerundivi usi sunt, et si cum aliis scriptoribus comparemus, satis multa sunt, quae iam nobis inspicienda sunt et conferenda.

A.

De dativi gerundii et gerundivi usu Plautino.

1. Apud Plautum gerundii et gerundivi in casu dativo positi haec inveniuntur exempla:

a) Dativus gerundii aut gerundivi a verbis et phrasibus e substantivo et verbo compositis, quae plerumque sunt relativa, suspensus est.

**adlegare* (c. gerundio): Stich. V. 3, 6 (680) ceterum curando id me adlegavit. — De hoc loco postea fusius disputandum erit.

auspicare (c. gerundivo): Pers. IV. 6, 7 (689) Lucro faciundo ego auspicavi in hunc diem [39]).

condere (c. gerundivo): Rud. V. 3, 18 (1374) Ius iurandum rei servandae non perdundae conditumst.

---

[39]) cf. Plaut. Rud. III. 4, 12 (717) non hodie isti rei auspicavi, ut . . .

**instruere* (c. gerundivo): Mil. IV. 1, 150 (745) Serviendae servituti ego servos instruxi mihi.

studere (c. gerundivo): Merc. I. 2, 80 (192) Armamentis complicandis, componendis studuimus.

Stich. V. 3, 5 (677) Lectis sternendis studuimus munditiisque apparandis.

**caput esse* (c. gerundivo): Asin. III. 3, 138 (728) Ego caput huic argento fui tibi hodie reperiundo.

metam facere (c. gerundio): Poen. I. 2, 21 (231) nunquam Lavando et fricando scimus facere metam[40].

pausa fit (c. gerundio): Rud. IV. 5, 12 (1205) Aliquando osculando meliust, uxor, pausam fieri.

quid modi est (c. gerundio): Asin. V. 2. 32 (882) Quid modist dando?

ib. 17 (169) Quid modist ductando, amando?

— *facere* (c. gerundio): Asin. V. 2, 32 (882) Quid modi, pater, amplexando facies?

Mil. IV. 8, 1 (1311) Quid modi flendo quaeso hodie facies?

operam dare (c. gerundio): Amph. III. 4, 23 (1006) Siquidem vos voltis auscultando operam dare. — Epid. IV. 2, 35 (605); Poen. I. 2, 13 (223); Mil. II. 2, 105 (260). Hos locos mox videbimus.

(c. gerundivo): Merc. III. 2, 8 (551) Rei te quaerundae convenit operam dare[41].

operam sumere (c. gerundio): Stich. I. 2, 22 (70) exorando, haud advorsando sumendam operam censeo.

---

[40] Ex libris praebent ‚faceren niam B. facere en iam membranae Turnebi adn. II. 5, facere reliqui.‘ Locus criticis est vexatissimus; alii alia temptarunt, ut f. pausam, — remoram, — finem, — naeniam etc. quae vide sis apud Götz et Löwe. Cum his ego Ritschelii coniecturam recepi, ut quae a librorum scriptura proxime absit et sententiae satisfaciat. Ex ceteris ea, qua ‚f. pausam‘ proponitur, ideo verisimilitudine non caret, quod eadem phrasis Rud. IV. 5, 12 (1205) invenitur.

[41] Sed quae ibid. V. 4, 27 (987) leguntur: ‚Adulescentes rei agendae isti magis solent operam dare,‘ spuria videntur; Demiphonti certe tribui non possunt; sententia ipsa ex v. 983 ‚temperare istac ted aetate bis decebat noxiis‘ expressa iam est. cf. Ritschl-Götz ad hunc locum.

rem cogere (c. gerundivo): Truc. II. 2, 54 sq. (309 sq.)
non enim illic meretriculis Moeniendis rem coegit,
verum parsimonia Duritiaque.

Exstant praeterea duo loci, quibus dativus gerundivi cum phrasi, quae est *,fingere fallaciam,'* coniunctus legitur:

Asin. II. 1, 2 (250) et ib. 4 (252). Sed totum, quemadmodum Götzius et Löwius praebent, proponam contextum inde a versu 249:

Hercle vero, Libane, nunc te meliust expergiscier,
[Atque argento conparando fingere fallaciam].
Iam diust factum quom discessisti ab ero atque abiisti ad forum.
[Igitur inveniundo argento ut fingeres fallaciam].
Ibi tu ad hoc diei tempus dormitasti in otio.

Ii versus, de quibus hic agitur, ab editoribus uncis inclusi sunt. Quorum certe alteruter interpolatus est, uterque a viris doctis in suspicionem vocatur. Licet enim structura ipsa nihil habeat a Plauto alienum, verba tamen hoc loco quasi sero venire et sermonis progressum turbare visa sunt. Götzius et Löwius haec adnotant: ,V. 250 eiciunt Bothius, Fleckeisenus, Müllerus, posteriorem damnat Guyetus; cf. Anal. Plaut. p. 99. Videtur uterque interpolatus esse. Versuum 249. 241. 253 nexus optimus.' At mihi unus versus et prior quidem in textu retinendus videtur. Nam primum quod Libanus — is enim loquitur — v. 249 sibi expergiscendum esse dicit, naturaliter exspectamus, ut ad quid tandem surgendum sibi sit, addat. Deinde eum, qui duabus proximis scaenis non egerit, ratione et consilio Plautus, quid negoti pro domino susceptum habeat, claris verbis repetentem inducit. Spectatorum enim memoria iuvanda erat. Cui rei etsi ea, quae v. 251 dicuntur, per se sufficiant, melius tamen versu 250 admisso provisum est. Accedit vero, quod verba quae versu 258 sequuntur: ,Unde sumam? quem intervortam?' hunc versum respiciunt ac necessario supponunt. Quid enim unde sumat Libanus? nempe argentum. At argenti, demptis versibus 250 et 252, tota hac oratione mentio nulla iam facta erat.

Ut igitur sit, quod [v. 258 obiectum mente intellegatur, versus 250 retineatur oportet. Nam alter v. 252 nihil esse nisi v. 250 a glossatore, ut versum 251, praesertim ultima verba explicaret, repetitus et ad marginem scriptus videtur. Inde postea in textum irrepsit, sed ita ut suppositum se esse facile prodat; supervacaneus enim est atque inepte molesteque inter versum 251 et versum 253 intervenit. Itaque perperam Ussingius hunc reiecto versu 250 tuetur.

b) Dativus gerundivi ab adiectivis et participiis pendet:

**firmior*: Trin. II. 1, 5 (229) Sed hoc non liquet . . . utram aetati agundae arbitrer firmiorem.

natus: Pers. III. 3, 23 (428) Referundae ego habeo linguam natam gratiae.

**optimus*: Rud. III. 4, 52 (757) Optimum esse operi faciundo corium et sincerissimum.

parum: Pers. IV. 4, 11 (560) centumplex murus rebus servandis parumst.

salutare: Aul. II. 1, 27 (148) Quod tibi sempiternum salutare sit. — ,Liberis procreandis?'[42])

scitus: Amph. I. 1, 132 (288) Haec nox scita est exercendo scorto conducto male.

**sospes*: Poen. V. 4, 15 sq. (1188 sq.) Iuppiter — da diem hunc hodie sospitem, quaeso, Meis rebus agundis.

Huc etiam Krause (l. l. p. 34) et Dräger (l. l. II. p. 834) ex prologo Truculenti referunt versus 14 sqq. (Mulier) ,nunquam ab amatore postulat — id quod datumst, Sed relicuom dat operam — ne sit relicuom, [Poscendo atque auferendo, ut mos est mulierum etc.'] At mihi v. 16 etiamsi interpolatus non esset, tamen aliter atque illi volunt, videtur interpretandus esse. Gerundia enim ,poscendo atque auferendo' non pro dativis, quae a phrasi ,ne sit relicuom' pendeant, sed pro ablativis, quibus superius illud ,dat operam' per exegesin explicetur, habendi sunt. Versus autem quintus decimus solus plenum habet intellectum.

---

[42]) Verba ultima versus tribuenda esse Magadoro duxi. cf. Götz ad h. l. Discrepat Ussing ad Aul. 143 sq.

Nimirum ille: Mulier, inquit, iis quae iam data sunt, minime contenta est, sed etiam id quod amatori reliquum est appetit operamque dat, ut accipiat. Sed ea ille verbis ludens ita expressit, ut sententias singulas praeter exspectationem verteret atque finiret. Ceterum versum 16 et eum, qui sequitur, Schöllius damnavit, quem ea de re adeas, si libet. Mihi diutius in eo loco immorari non licet, sed ad reliqua pergam atque exemplis iam propositis, quid porro concludendum sit, doceam oportet.

2. Ex allatis exemplis de ipsarum gerundii et gerundivi formarum tractatione colliguntur haec:

Primum pari fere numero gerundia et gerundiva a Plauto usurpata sunt, cum eo tamen discrimine, ut cum adiectivis gerundia nulla sint composita. Quod iccirco factum esse opinor, quod adiectiva relativa facilius ad rem, de qua aliquid faciendum est, quam ad nudam et infinitam actionem videntur referri, contra verbales illae phrases vi sua id spectant, ut aliquid agatur, atque inde complentur. Deinde dativus gerundivi nomini suo postponitur, a qua regula tribus tantum locis (Amph. 228, Mil. 745, Pers. 428) discessum est; verbum autem vel adiectivum, a quo dativus suspensus est, octies gerundivo, quinquies substantivo propinquiorem, semel medium inter utrumque occupat locum. Praeterea gerundivum a substantivo suo ter interiecta alia voce seiungitur. — Gravius vero est, quod Plautus dativum gerundii cum obiecto pro gerundivo idque non duobus locis, Epid. IV. 2, 35 (605) et Poen. I. 2, 13 (223), ut Dräger contendit [43], sed quattuor locis usurpavit. Adiciendi enim sunt: Stich. V. 3, 6 (680); Mil. II. 2, 105 (260). Ea autem structura Plauto ita propria est, ut praeter eum bis tantum, apud Ovidium Metam. IX. 684 et apud Livium XXI. 54, 1, offendatur [44]. Sed apud Plautum singula videamus. In primo exemplo, quod

[43]) Holtze quoque (l. l. p. 55) et Kühner (l. l. II. 539 f) adn.) duo tantum eadem exempla afferunt; tria profert Krause, de qua re mox agemus.

[44]) cf. Kühner ib.

est Epid. IV. 2, 35 (605) ,Ego relictis rebus Epidicum operam quaerundo dabo,' Krausio (l. l. p. 36) ,eo consilio poeta accusativum „Epidicum". scripsisse videtur, ut ille modo in antecedente versu (,abi modo intro, atque hanc adserva Circam, Solis filiam') dicto accusativo ,Circam' opponeret, quae duo nomina aeque gravia eodem posita casu una eminere voluisse poetam.' Ita ille. Cui calculum adiciendum esse puto. Contraria vero ratio altero valuit loco, sc. Poen. I. 2, 13 (223) ,Eae (ancillae) nos lavando eluendo operam dederunt.' Ubi accusativus ,nos' nihil ponderis habet, et cum inde a versu 210 ad 231 idem semper maneat, hoc loco levissime dumtaxat denuo tangitur, vis vero atque momentum orationis omne eo vertitur, ut, quantum negoti mulier facessat, describatur. Eius rei causa ut versibus 220 sq. infinitivi cumulantur, ita hoc versu gerundia, quo fortius ipsa actio inculcetur, gerundivorum loco ponuntur. Iam ita rem esse Krause cum recte intellexisset, falsa tamen opinione ductus per gerundia ,quippe quae obliquis casibus munere infinitivi fungi' putaret, illos qui antecedunt infinitivos ipsos continuari suspicatur. Tertium exemplum est Stich. V. 3, 6 (681) quod a Götzio sic editur: ,Stichus opsonatust. Ceterum curando id me adlegavit.' Libris autem ita traditur: ,Stichus opsonatust. ceterum curando id adlegavi.' Quam scripturam Krause iam contra Ritschelium et Fleckeisenum tutatus erat. Nam ut Guyetum, qui totum versum delevit, mittamus, Ritschelius et Fleckeisenus, pronomine ,ego' expuncto vel ,alium' vel ,aliquem' substitui voluerunt. Atque ille in adnotatione de ,curando id' ait se dubitare atque haud scire an scripserit poeta ,Ceterum id curavi aliquem adlegando' an ,Ceterum aliquem adlegando id curavi.' — Mihi quidem versum minime corruptum tradi et a librorum memoria standum esse argumentis certis, etsi non iis quibus usus est Krause, effici videtur. Stephanium igitur, cuius illa verba sunt, quia ad convivium erile lectos sternere munditiasque apparare debuit, non ipsa coquae munere fungi potuit, sed eam curam alii mandavit. Et hactenus cum Krausio

consentio. Sed rationem quam is deinde affert, cur Stephanium, cum v. 679 cenae coquendae curam a se susceptam esse dixerit, nunc eam se delegasse aliis fateatur, vereor ne nulli probet. Putat enim servam illam subito puduisse eorum, quae v. 679 sq. de diligentia sua iactasset, quasi ipsa et erili convivio et conservorum cenae simul apparandis operam navasset; cf. v. 679: ‚Inter illud tamen negotium meis curavi amicis Sticho et conservo Sagarino meo cena cocta ut esset.‘ Hinc eam v. 681 se correxisse modestiusque locutam esse. At vel illud opponi potest, quod etiam reliquis fabulae locis (cf. vv. 430 sqq.; 652 sqq.) a Stephanio cenam coqui indicatur. Quid igitur nunc ad alios rem delegasse se ait? — Ad eam rem explicandam versus 674 sqq. accersi opus est: ‚Mirum videri neminem vostrum volo, spectatores, | Quid ego hinc (sc. e domo Epignomi), quae illic habito (sc. in proxuma domo, quae erat Pamphilippi, Epignomi fratris, cf. v. 431 sq.), exeam: faciam vos certiores. | Domo dudum huc arcessita sum‘ etc. Ergo Stephanium domi suae, ubi pro amicis cena coquenda (v. 430 sqq.) atque adeo iam cocta erat (v. 662), toto tempore illo non fuerat. Merito igitur, immo necessario, ‚ne mirarentur spectatores,‘ quomodo tamen parandam cenam curavisset, subiecit: nempe aliis eam curam mandaverat. Atque cum hac interpretatione versus 679 sq. facile conciliantur. Quae cum ita sint, versum 281 non modo ex textu eici, sed ne minimum quidem mutari licet. Accusativi autem gerundio subiuncti eo minus offensioni esse debent, quod neutra pronominum sunt, quae saepe fere adverbiorum instar ad verba etiam intransitiva constat accedere. Denique e Milite glorioso II. 2, 105 (260) huc spectant verba ‚Et quidem ego ibo domum | Atque hominem investigando operam huic dissimulabiliter dabo.‘ Ita Ambrosianus, nisi quod de litteris LITER non prorsus constat. Reliquorum librorum, licet in diversas partes discedant, mira tamen in eo est consensio, quod et accusativum ‚hominem‘ et ex parte dativum quoque gerundii servarunt. Quamobrem recentiores editores Ribbeckius et Götzius obiectum ‚hominem‘ in dativum con-

verti non debere iudicarunt; atque obiectum hoc loco facile tolerari potest, quoniam simili omnino modo in Epidico adiectum esse vidimus. Unum illud viri docti iam dissentiunt, utrum secundum Ambrosianum aliosque libros meliores ‚huic,' quod ab adverbio ‚dissimulabiliter' pendeat, an ‚hunc' quod ad ‚hominem' referatur, legi debeat. Illud Brixio et Götzio, hoc Ribbeckio placet. Quam quaestionem, cum certo dirimi vix possit, persequi nolo, quamquam mihi dativus, utpote quae sit lectio difficilior atque codicum meliorum memoria firmetur, verior videtur[45]).

Atque satis multa verba de iis locis, ubi Plautus dativum gerundii cum obiecto coniunxerit, fecisse et quattuor exstare eius generis exempla demonstrasse mihi videor. — Iam quod posteriorum temporum scriptores eam structuram imitati non sunt, id, nisi fallor, ex ea lege linguae Latinae explicandum est, qua prohibebatur, quominus e gerundii dativo, qui ipse in obiecti genere esset, secundum idque directum obiectum aptum fieret. Cyprianus quidem, quem cum Plauto comparamus, ab eo usu eo longius aberat, quoniam ne reliquis quidem casibus gerundii obiectum nisi raro subiungit; ipse autem alia sibi propria habet, quae iam illustranda sunt. .

B.

Cyprianus quomodo dativum gerundivi — eo enim solo utitur — usurpaverit exponitur.

1. A quibus verborum generibus dativum gerundivi aptum fecerit.

Quod iam initio huius capitis monui, decrescente paulatim pristina linguae severitate dativum magis magisque invaluisse, id in Cypriano observari potest, quippe qui eum casum saepissime atque ad eas quoque phrases adhibuerit, quibuscum ex meliorum temporum consuetu-

---

[45]) cf. praesertim Götzium ad hunc locum, ubi et varia librorum lectio et virorum doctorum diversa temptamina enumerantur.

dine ad cum accusativo gerundivi exspectaveris. Quid? quod dativum non solum iis verbis aut adiectivis subiungit, quae cum ex se incompletae significationis sint, naturaliter quo referantur, postulent, sed multo saepius ad alias phrases solutiore quasi vinculo adnectat itaque quorsum agentis consilium dirigatur aperiat? Sed ipsa exempla loquantur.

a) Dativus gerundivi aptus est a verbis et phrasibus e substantivo et verbo compositis.

Neglecto ordine alphabetico prima quaeque ponam ea, quae cum communi regula maxime concordant i. e.:

studere — incubare: De laps. 240, 13 studebant patrimonio augendo et ... ampliandis facultatibus incubabant.

insistere: De op. et clem. 378, 22 ut insistamus eleemosynis dandis.

Epist. 632, 13 sollicitandis de ecclesia fratribus insistere.

consulere: De op. et clem. 373, 13 ut homini — reservando plenius consulatur.

prospicere: De op. et clem. 388, 19 nisi conservandis eis (filiis tuis) religiosa et vera pietate prospicias.

providere: Epist. 746, 24 medella salubri fovendis et conservandis ovibus providere.

satisfacere: Epist. 649, 27 quando sollemnitati celebrandae apud suos satisfecerint.

intercedere: Epist. 679, 24 poenitentiae agendae intercedere non destiterunt.

consentire: Ad Don. 1, 7 mulcendis sensibus ac fovendis ad lenes auras consentit blandientis autumni hortorum facies amoena.

cf. Epist. 685, 9 (recipiendis malis curandisque).

se immergere: Ad Don. 7, 17 immundos et erraticos spiritus, qui se expugnandis hominibus immerserint — cogere.

mittere: Ad Demetr. 362, 2 quem (Christum) vivificandis ac reparandis nobis misit pater.

cf. De op. et clem. 373, 3; De bon. pat. 397, 19.

detinere: Epist. 677, 10 accipiendis aliis epistulis detinetur.

effulgere: De cath. eccl. un. 211, 9 sospitandis hominibus salutare lumen effulsit.

praedicere: Sent. episc. 446, 20 quae instruendis nobis ante praedicta sunt.

grassari: De cath. eccl. un. 209, 8 ea quae subruendis ac deiciendis servis Dei aperta inpugnatione grassantur. De laps. 249, 11 (inpugnandis lapsis — gr.).

succumbere: Epist. 631, 19 conligendis fratribus nostris carissimus frater noster necessitate succubuit.

praefinire diem: De laps. 238, 20 explorandae fidei praefiniebantur dies.

exhibere diligentiam-
-adhibere medicinam } Epist. 747, 16 colligendis et refovendis Christi ovibus exhibere diligentiam plenam et curandis lapsorum vulneribus paternae pietatis adhibere medicinam.

exhibere memoriam: Epist. 757, 9 (corrigendis posteris).

manus inferre: Epist. 546, 2 (praeceptis Domini subruendis).

admovere tormenta —
— multiplicare supplicia } Ad Demetr. 360, 11 sq. admoves laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis visceribus numerosa supplicia.

frequentare documenta: Epist. 838, 10 (corroborandis fratribus et amandis).

importare dolores: De bon. pat. 409, 22 examinandis autem nobis atque explorandis diversi importabantur dolores.

praebere patientiam: De bon. pat. 413, 5 adhuc iubentur (martyres) et temporibus consummandis implendisque martyribus praebere patientiam[46]).

obsequium praebere: De op. et clem. 392, 28 (promerendo Domino).

calicem offerre: Epist. 714, 14 (frequentandis dominicis).

remedia dare: De op. et clem. 375, 15 (dedit curandis denuo sanandisque vulneribus remedia salutaria). cf. ib. 376, 16; 377, 3.

---

[46]) cf. Apocal. 6, 9 sq. Donec impleatur numerus conservorum et fratrum eorum, quique postea occidentur exemplo ipsorum.

medicinam non denegare: Epist. 744, 17 (lapsis erigendis et curandis vulneratis).

pererrare per provinciam: Epist. 686, 4 (circumveniendis fratribus et spoliandis). cf. supra ,grassari.'

Ultimo loco exemplum refero, non quod absonum maxime, sed prae ceteris eo conspicuum est, quia ope verbi quod est *reddere* tria substantiva concreta, quae munera significant, adhibita simul figura etymologica cum dativis gerundivi copulantur.

pastor- gubernator- rector- redditur: Epist. 695, 18 ut pascendo gregi pastor et gubernandae navi gubernator et plebi regendae rector redderetur.

b) Accedunt paucae sententiae, ubi solo substantivo regente, nullo mediante verbo dativus gerundivi ponitur:

divina dignatio: Epist. 786, 24 cum inde incipiat omnis fidei origo et ad spem vitae aeternae salutaris ingressio et purificandis ac vivificandis Dei servis divina dignatio.

(*salubre*) *munus*: De op. et clem. 375, 2 Agnoscamus itaque fratres dilectissimi divinae indulgentiae salubre munus emundandis purgandisque peccatis nostris, et quia sine aliquo conscientiae vulnere esse non possumus medellis spiritalibus vulnera nostra curemus[47]).

---

[47]) Ita lego a Vahleno eo discrepans, quod is ,et qui' pro ,et quia' coniecit. Hartelius haec praebet: ,— munus [et] emundandis purgandisque peccatis nostris, qui sine aliquo —' Sed a codicibus proficiscamur oportet, quibus vulgo sic traditur: ,agnoscamus itaque . . . divinae indulgentiae salubre munus ut emundandis purgandisque peccatis nostris, qui sine aliquo — curemus.' Atqui in Sangallensi (= G, s. IX.) particula ,ut' omittitur, Seguieranus (= S, s. VI.—VII.), qui liber ceteroqui Hartelio iudice ,inter omnes codices primum locum et vetustate et integritate obtinet' (v. t. III. praef. p. II.) hoc loco aperta corruptione laborat; habet enim: ,et quia emundandis . . .' Iam in emendando hoc loco non solo Sangallensi, quod Hartelius fecit, sed simul etiam Seguierano ceterisque libris nitendum esse duco. Sangallensis, qui post ,munus' nullam coniunctionem praebet, partem tantum lectionis genuinae tradit, deest in eo particula aliqua, qua duae sententiae, quarum verba finita ,agnoscamus' et ,curemus' sunt, copulentur. Secus enim

sumptus: De op. et clem. 389, 18 in hac vita saeculari alendis sustinendisque pignoribus, quo maior est numerus, hoc maior et sumptus est.

copia imbrium- } Ad Dem. 352, 27 non hieme nutriendis
— flagrantia } seminibus tanta imbrium copia est, non frugibus aestate torrendis solita flagrantia est.

---

asyndeton oritur, cuius nulla ratio reddi possit. Atqui ea particula, quae fuerit et quo loco inserenda sit, viam monstrat Seguieranus. Scilicet in archetypo unde et ipse Seguieranus descriptus est et omnes nostri codices derivantur sic fere scriptum fuisse suppono:

„. . . divinae indulgentiae *munus* emundandis purgandisque peccatis nostris. *qui* sine aliquo . . .' Itaque cum librarii errore ante ,sine' scriptum esset ,qui,' recta lectio, quae erat ,et quia,' in margine paululum supra linea ac fere iuxta ,munus,' superioris lineae ultimum vocabulum. adiectum est. Iam hoc ,et quia' is qui Seguieranum exaravit, non attendens, quo pertineret, post ,munus' textui inseruit, ac deinde ,qui' repetiit. — Idem autem error in eum librum, unde ceteri codices, excepto G, pendent transfusus vel potius infelici emendatione ita auctus est, ut pro ,et quia' quae eo loco sententiae repugnarent, ,ut' scriberetur. Sangallensis vero verba ,et quia' in margine posita simpliciter neglexit. Ergo ex uno archetypi mendo tamquam radice quodam codicum, qui nunc sunt, varietas omnis pullulavit, Seguierani autem fides ipsa huius loci corruptione comprobatur.

Atque veram scripturam nobis exploratam esse ipsa sententiarum serie ac coniunctione elucet. Colligit enim Cyprianus priore parte (,agnoscamus nostris') ea quae modo fusius tractaverat, scilicet eleemosynam ad purganda peccata valere, deinde altera sententia, quae a verbis ,et quia' incipit, ea ad usum monet ut applicentur, praemissa hac ratione: ,Et quia sine aliquo conscientiae vulnere esse non possumus.' Qua quidem formula ,et quia' in rebus sententiisque similiter conectendis uti solet: vel in proxima pagina bis eam offendimus (374, 10 et 23). Praestat vero ea ratio, quod et habemus, unde dativus gerundivorum ,emundandis purgandisque peccatis nostris' aptus sit et verborum ambitus concinne concludatur. Sive enim coniunctione ,ut' sive particulam ,et' quam Hartelius uncis inclusam in textu reliquit, post ,munus' interponitur, sententia tum molesto hoc pleonasmo ,emundandis purgandisque peccatis nostris — medellis spiritalibus vulnera nostra curemus,' tum defectu alicuius vocis, unde dativi — an ablativos dicemus? — ,emundandis purgandisque peccatis' pendeant, laborat. Vablenus vero, mera usus coniectura, etsi sensum ac verborum constructionem ingeniose assecutus est, librorum tamen memoriam non observavit; neque enim quomodo vulgaris lectio ,ut' orta sit neque quomodo in Seguierano in eundem locum (sc. post ,munus') voces ,et quia' delatae sint, explicare potest.

c) Dativus gerundivi pendet ab adiectivis et participiis:

necessarius: Epist. 602, 9 cui rei sopiendae necessarium duximus, ut . . .

deditus: De op. et clem. 377, 24 Tabitha — eleemosynis praestandis plurimum dedita.

subdolus: De laps. 240, 20 circumveniendis fratribus subdolae voluntates.

2. Cur in dativo sola gerundivi forma Cyprianus et quomodo usus sit?

En habes, quae apud Cyprianum repperi gerundivi in dativo positi exempla. Quod gerundii in dativo positi exemplum nullum apud Cyprianum reperitur, mirum sane est, neque magna gerundivorum copia considerata casu fortuito id factum esse quisquam contendet. Causa igitur rei subest eaque mihi quidem ab ablativo gerundii repetenda videtur, qui cum amplitudine potentiaque quasi praevaleret, sensim dativum submovit. Contrariae enim formae inter se erant, quia cum aeque sonarent ambiguitati facile ansam praebebant. Sed plura de hac re infra dicentur.

De verborum collocatione restat, ut eadem fere, quae iam in genetivo gerundivi notavi, valere dicam. Nam inter quinquaginta fere locos tantum septem exstant, ubi gerundivum nomini suo sit postpositum; in reliquis omnibus antecedit, nisi quod in quattuor sententiis utraque verborum collocatio ad chiasmum efficiendum adhibetur, ut De laps. 240, 13 *studebant patrimonio augendo* et... insatiabili cupiditatis ardore *ampliandis facultatibus incubabant*; cf. ib. 352, 27 sq. De bon. pat. 413, 5. Epist. 744, 17. Aliis autem locis ille, ubi plura membra gerundivi constructionibus formata inter se excipiunt, anaphoram adhibet — cf. Ad Dem. 360, 11. Epist. 695, 18; — aut si ad unum substantivum duo accesserunt gerundiva, interdum unum praecedit, alterum subsequitur. cf. Ad Don. 1, 7 De bon. pat. 409, 22 Epist. 686, 4; 828, 10.

Illud quoque quod gerundivum vix unquam a suo substantivo seiungi diximus, huc cadit. Porro verba vel

nomina, a quibus dativi pendent, ita fere cum his componuntur, ut propius ad dativum substantivi — nisi id duobus gerundivis includatur — accedant. A qua lege raro declinatum est. Quodsi vero a longiore phrasi pendent dativi, ea, i. e. verbo et substantivo quibus constat, non raro includuntur.

Atque ut generale, quod singulis his rebus subest, principium designem, studet Cyprianus in collocandis verbis imprimis claritati ac simplicitati atque communem linguae regulam sequitur, secundo autem loco, quantum salva perspicuitatis lege fieri potest, tum gravitati sententiarum tum orationis concinnitati numerisque intentus non sine arte dictionem variat atque distinguit. Quae quantopere a Plauto, qui comoedus neque uni certaeque regulae neque rhetorum praeceptis artificiisve verborum ordinem adstrinxerit, diversa sint, liquet. Idem autem cum in reliquis casibus eodem fere modo observetur, semel hic dictum sit, ita ut postea nihil iam nisi singulas res commemorare oporteat. — Atque de hoc casu quod amplius dicam, non suppetit; accusativus igitur iam ad considerandum se offert.

§ 3. Accusativo gerundii et gerundivi a praepositionibus apto quemadmodum Plautus et Cyprianus usi sint ostenditur.

Intra accusativi fines participium futuri passivi pro innata sua vi perangustam quasi sedem eam quae praepositionibus, maximeque praepositioni ad patebat, propriam obtinuit. Nam ut accusativum, qui appositionis praedicativae locum tenet, omittam, gerundium aut gerundivum nusquam pro obiecto directo usurpatum legitur. Quod autem prae ceteris praepositionibus particula ad quam frequentissime cum gerundio et gerundivo coniungitur, id ex eius natura, qua directionem atque consilium significat, proficiscitur. Atque ad eandem notionem reliquae praepositiones, quae huc spectant, plus minusve prope accedunt. Iam his notatis ipsos auctores adeamus.

A.

Plautus accusativum gerundii et gerundivi cum praepositionibus ad et inter conectit.

1. Praepositione ‚*ad*' regente fere viginti gerundii aut gerundivi exempla formata sunt.

a) Apta e verbis:

Primo loco exemplum anceps illud commemoro, quod iam vidimus, cum de accusativo praedicativo agebamus:

adducere: Poen. III. 3, 23 (646) Hunc nunc, Lyce, ad te diripiundum adducimus.

conducere (ad furandum): Pseud. III. 2, 61 (850).

dare: Cist. III. 3, 17 ad me adglutinandam totam decretumst dare.

operam sumere (ad pervestigandum ubi sit illaec): Merc. V. 2, 94 (935) (cf. dativum p. 69).

commodum venire (Ad aquam praebendam): Amph. II. 2, 37 (669).

certos terminos habere (ad detexundam telam): Pseud. I. 4, 7 (400).

portisculum habere (ad loquendum atque ad tacendum): Asin. III. 1, 15 (516).

[Mil. Arg. II. 13 suam clientam sollicitandum ad militem subornat].

b) Ex adiectivis apta:

**celer*: Truc. prol. 8 Ad denegandum ut celeri lingua utamini.

**citus*: Bacch. IV. 2, 86 (738) herclest ad perdundum magis quam ad scribundum cita (manus).

**doctus*: Epid. III. 2, 42 (378) Nimis doctus illest ad male faciundum.

**facilis et planus*: Trin. III. 2, 20 (646) Tibi pater avosque facilem fecit et planam viam Ad quaerundum honorem.

**fortior*: Asin. III. 2, 11 (557) Qui mest vir alter fortior ad sufferundas plagas?

**sat*: Truc. I. 1, 1 (22) Non omnis aetas ad perdiscendum sat est.

Adde duas expressiones Graecas:

**malacus* (μαλακός): Mil. III. 1, 7 (668) Tum ad saltandum non cinaedus malacus aequest atque ego.

**Philippus* (= Philippeus, i. e. optimus): Poen. III. 2, 22 (599) Verum ad hanc rem agundum Philippumst (scil. aurum).[48])

c) Apta e substantivis:

**benignitas*: Merc. I. 1, 15 (11) Atque advortendum ad animum adest benignitas.

cf. Mil. II. 1, 2 (80) (ad auscultandum) (Men. prol. 16).

**comitas*: Mil. II. 1, 1 (79) Mihi ad enarrandum hoc argumentum est comitas.

[*voluptas*: Trin. II. 1, 8 (232) Utra in parte plus sit voluptatis vitae Ad aetatem agundam].

Verbis impediendi Plautus ad cum gerundio aut gerundivo nunquam subiunxit.

2. Cum praepositione ‚*inter*‘ compositum unicum apud Plautum exstat exemplum:

Cist. IV. 2, 55 inter rem agendam istam.

De his non multa notanda sunt: Inter haec quae proposui gerundii et gerundivi dena sunt exempla, obiecti autem ad gerundium additi nullum. Cuius rei haec videtur causa esse. Primum quidem praepositiones, quoniam natura sua ad substantiva pertinent, cum ad gerundium accedunt, id efficiunt, ut gerundium multo magis substantivi naturam induat[49]) et a verbali vi recedat, hinc minus iam ad obiectum recipiendum idoneum sit. Abhorret enim cum omnis lingua tum Latina a substantivi et verbi, praesertim activi, potestate simul in unam vocem coniungenda. Itaque quotienscumque verbum, quod cum obiecto coniunctum esset, ut participium futuri passivi a praepositione suspendendum erat, ipsum potius substantivum praepositionem ad se attrahebat, participium autem in gerundivi forma accedebat.

---

[48]) Horum nihil apud Drägerum notatum invenio; etiam substantiva, quae iam sequuntur, ibidem omissa sunt.

[49]) Quod idem in adiectiva, cum a praepositionibus pendent, cadit. cf. v. gr. in integrum restituere, in aperto est alia multa.

In iis vero praepositionibus, quae accusativum postulant, ulterior quaedam cernitur causa, quae quominus gerundium cum obiecto conecteretur impediverit, eaque similis est illi, quam iam in dativo valuisse dixi: evitanda erat difficilis illa et dura duorum accusativorum inter se pendentium concursio. Nihilo secius singularia quaedam apud quosdam scriptores exempla atque unum apud ipsum Cyprianum offenduntur. Atque ad hunc, quoniam apud Plautum non superest quod de accusativo addatur, animum attendamus.

B.

Cyprianus accusativum gerundii vel gerundivi aptum facit a praepositionibus, quae sunt ad, in, circa, propter.

1. Praepositio *ad* cum gerundio vel gerundivo conexa a verbis, substantivis, adiectivis pendet.

Exempla, nisi gerundium adnotatum est, inter gerundiva numeranda sunt. Itaque pendet ad particula

a) a verbis vel amplioribus locutionibus verbalibus.

Ea autem duplicis sunt generis, quippe quae aut relativa, cum consilium vel directionem designent, gerundivo tanquam complemento indigeant, aut absoluta ac notionis in se iam completae gerundium vel gerundivum ultro et quasi extrinsecus ad particula intercedente adiectum habeant.

Atque primum gerundivum ad particula regente accedit ad verba vel phrases relativa, quae sunt haec:

α) Verba vel phrases, quae motum aut proprium aut metaphoricum significant:

accedere: Epist. 720, 22 qui ad remissam peccatorum accipiendam — accedit.

adigere: Epist. 699, 3 sq. Etiamsi caritas minus adegerit ad opem fratribus ferendam.

admittere: Ad Demetr. 381, 11 eos — ad percipiendum regnum dicit admitti.

Epist. 652, 8 ad bibendum in ecclesia poculum Do-

mini — admittimus. ib. 741, 8 ad paenitentiam agendam admitti. ib. 744, 12 ad fovenda vulnera admittantur.

convenire: Epist. 739, 9 ad ordinationes rite celebrandas conveniant.

converti: Epist. 740, 16 cum — ad agendam paenitentiam conversus sit.

descendere (c. ger.): Epist. 612, 7 descendere ad navigandum.

dirigere: De bon. pat. 397, 9 ad consequenda divinitus praemia — secta dirigitur.

mittere: De hab. virg. 204, 12 quem ad promenda mandata caelestia Deus misit.

penetrare: Epist. 527, 24 ad corroborandos et confortandos eos serius noster penetravit.

pergere: Epist. 480, 16 Ad accipiendam coronam — pergatis.

pervenire: De op. et eleem. 384, 15 p. ad videndum Deum. Epist 707, 7 ad bibendum calicem Domini pervenitur.

procedere: Epist. 795, 22 ad debellandum diabolum de divinis castris — procedere.

prosilire: Epist. 621, 12 ad gerendum proelium et adversarium subigendum prosilistis.

provenire: Epist. 831, 8 ad promerendam voluntatem Dei opera nostra proveniant.

redigere: Epist. 646, 6 ad agendam paenitentiam — redigi.

trahere (c. ger.): Epist. 537, 6 tracta est a marito ad sacrificandum.

venire: Ad Demetr. 370, 7 quominus veniat ad consequendam salutem.

Epist. 705, 19 ad potandum vinum veniri non potest, nisi . . .

Epist. 714, 8 (c. ger.): cum ad cenandum venimus.

β) verba, quae hortandi vel nitendi similemve habent notionem:

cohortari: Epist. 696, 16 ad confessionis arma sumenda et facienda martyria . . . cohortatur.

hortari: De dom. or. 277, 11 ad faciendam voluntatem Dei hortatur.

componere (sc. salutari exhortatione): Epist. 512, 6 mentes ad servandam gloriam.

incendere: Epist. 558, 20 (animum) ad consequendos gradus (tantae dignitatis) incendit.

instigare . . . et *confortare*: Epist. 698, 23 ad (fratrum) membra redimenda.

urgere: Epist. 525, 12 ad communicationem accipiendam . . . urgere.

niti: Epist. 816, 15 ad decipiendas hominum voluntates.

sollertia et sollicitudo non deest: Epist. 479, 6 peto quoque ut ad procurandam quietem sollertia et sollicitudo vestra non desit.

quasi faces supponere: Epist. 560, 21 quasi faces quasdam ad inflammandam fidem... suppositas sentiamus.

componere hortamenta: Ad Fortun. 317, 5 desiderasti ut ad praeparandas et corroborandas fratrum mentes... hortamenta componerent.

adlocutio et persuasio non deest: Epist. 527, 19 nec universae fraternitati ad deprecandam dei misericordiam adlocutio et persuasio nostra non defuit.

γ) Verba et phrases, quibus facultatis vel efficientiae, adiumenti aut impedimenti notio subest:

posse- / *praevalere* } (c. ger.) Epist. 687, 14 aut plus existimemus ad impugnandum posse humana conamina quam quod ad protegendum praevalet divina tutela.

cf. (c. ger.) Epist. 490, 19 nec plus ad deiciendum potest terrena poena quam ad erigendum tutela divina.

prodesse: Testim. 36, 16 prosint ad prima fidei lineamenta formanda.

proficere: De zel. et liv. 411, 25 proficere potest ad consummandam gloriam.

sufficere: Epist. 649, 9 ad deprecandam clementiam . . . sufficere.

valere: Epist. 822, 11 sq. valuit (baptisma) ad hominem purgandum — valere potuit (manuum impositio) ad accipiendum Spiritum s.

potestas est: De laps. 252, 26 quasi (Deo) minus potestatis ad protegendam ecclesiam . . . fuerit.

tempus exspecto: Epist. 512, 2 ad pacem vobis petentibus dandam maturum et pacatum tempus exspectent.
aetatem habere: De laps. 255, 25 quae (infans) ad loquendum circa se crimen necdum habuit aetatem
dux fio: Epist. 490, 21 qui ad tormenta vincenda ceteris duces facti exemplum . . . praebuerunt.
minister fio: Epist. 725, 5 minister et servus diaboli factus ad decipiendam fraternitatem.
consilium salubre tenere: Epist. 570, 6 ad fovenda et sananda vulnera consilium salubre teneamus.
gratia non deest: Epist. 577, 23 nec deest de autumno ad munera fungenda temporis gratia spiritalis.
impedimento esse: Epist. 719, 15 nec hoc putamus ad caelestem gratiam dandam impedimento esse. cf. 720, 14; 249, 9 (impedire aliquem ad alqd.).

δ) Verba cum dandi et tribuendi significatione:
dare (c. ger.): De op. et el. 386, 17 petit (Helias) sibi prius ad edendum dari.
sumptus suggeritur: Epist. 510, 18 ut his ad tolerandam penuriam sumptus — suggeritur.

ε) Verba vel phrases necessitatis vi praeditae:
opus est: De laps. 239, 14 lacrimis magis quam verbis opus est ad exprimendum dolorem.
necesse habere: Epist. 775, 1 Ad quaedam disponenda et — limanda necesse habuimus (celebrare concilium).

ζ) Formulae, quae solum respectum significant:
quod pertinet (c. ger.): Epist. 822, 18 Quod autem pertinet ad consuetudinem refutandum, quam videantur opponere veritati [50]).
quantum: Epist. 478, 16 quantum ad sumptus suggerendos sive his — sive illis —, peto nihil desit.

Sequuntur ea verba vel loquendi formulae, quibus liberiorem in modum ad cum accusativo gerundivi plerumque pro sententia finali subiungitur:
accidere: Epist. 700, 22 sq. ad explorandam animi nostri caritatem et examinandam nostri pectoris fidem — accidit.

---

[50]) Vide de hoc loco infra pag. 94 sq.

addere: Epist. 812, 14 ad cumulandam veritatem.

blandiri: De laps. 239, 22 nec mihi ad deliniendos dolores meos integritas propria et sanitas privata blanditur.

conari: De cath. eccl. un. 226, 21 quidquid improbi fuerint ad destruendam ordinationem Dei — conati.

deprecari: Ad Fortun. 340, 23 ut ad filium deiciendum secum deprecaretur et mater.

exclamare: Ad Fort. 339, 20 ad retundendum regem — exclamavit.

exprimere: Q. id. dii n. s. 19, 5 ad defunctorum vultus per imaginem retinendos expressa simulacra.

fallere: Q. id. dii n. s. 22, 13 fallunt ad copiam civitatis augendam.

navigare: Epist. 618, 13 ad gerendum proelium et adversarium subigendum.

ostendere: Epist. 696, 24 ad confundendos et retundendos haereticos.

praescribere: De hab. virg. 193, 19 ad cultum adque ornatum . . . moderandum praescribit.

procedere: Epist. 470, 2 ad honorandos ac vindicandos sacerdotes suos (hanc Dei vocem) processisse.

remittere: Epist. 528, 19 ad illorum violentiam instigandam . . . ad Dominum remitterentur.

retinere: Epist. 812, 13 ad confirmandam veritatem.

simulare: Ad Fortun. 341, 22 ad circumveniendum regem.

vigilare: De cath. eccl. un. 232, 28, De zel. et liv. 420, 21 ad observanda divina praecepta. —

Ad Fortun. 330, 18 Moyses ad superandum Amalech — *adlevabat supinas manus.*

De zel. et liv. 422, 19 nec ad divina noscenda *cordis oculos aperire* potuerunt.

Epist. 598, 5 ad instruendos istinc nos . . . *manifesta indicia protulerunt.*

ib. 607, 13 ut ad conprobandam ordinationem tuam *facta auctoritate maiore . . . litterae fierent.*

ib. 623, 6 ut se putet aut ad aream ventilandam et purgandam palam *iam ferre* posse.

ib. 628, 19 quamvis . . . *mendacia* . . . ad rumpendam

catholicae ecclesiae unitatis concordiam *ubique iactentur.*

ib. 760, 4 *cur manus imponitur* ad accipiendum spiritum?

ib. 789, 21 quod aliquis ad circumveniendam christianam veritatem *Christi nomen opponat.*

ib. 802, 12 ut ad celebranda sacramenta caelestia *disciplinam* lux de tenebris *mutuetur.*

b) Gerundia vel gerundiva particula ad regente suspensa sunt ab adiectivis et participiis, ubi ad respectum fere declarat.

**animatus*: Epist. 490, 14 pari et simili calore virtutis ad gerendum certamen animatus.

**benignus* (c. ger.): De bon. pat. 403, 2 patientia salutari ad conservandum benignus.

**cautus* (c. ger.): Epist. 498, 22 dum — minus armatos et ad repugnandum minus cautos iactu retis operiret.

**cupidus* (c. ger.): Epist. 479, 8 et si fratres pro dilectione sua cupidi sunt ad conveniendum et visitandum confessores bonos, quos illustravit iam gloriosis initiis divina dignatio [51]).

**expeditus* cf. ‚paratus.'

facilis: Epist. 833, 13 sq. ad inpetrandum quod in pressuris petitur facilior oratio est.

cf. De hab. virg. 204, 20 (s. v. ‚mitis'). Epist. 637, 20 sq. (s. v. ‚pertinax').

**fidelis*: De dom. or. 284, 1 Fidelem dixit Dominum (1 Ioh. 1, 8 sq.) ad dimittenda peccata.

idoneus: Epist. 803, 8 ad accipiendum Spiritum s. idoneus factus est.

**impatiens*: Epist. 725, 21 quod si quis impatiens fuerit ad deprecandum Dominum.

**infestus* — *inquietus* } De zel. et liv. 420, 12 ad debellandos servos Dei inquietus semper et semper infestus.

**maior* (c. ger.): Ad Fort. 320, 24 maior est Deus ad protegendum quam diabolus ad inpugnandum.

---

[51]) cf. de accusativo obiecti infra p. 93 sq.

***minor*: Epist 576, 17 ad reddendam vobis vicem minor est nostra mediocritas.

***mitis*: De hab. virg. 204, 20 sq. ad omnem tolerantiam fortes, ad sustinendam iniuriam mites, ad faciendam misericordiam faciles.

paratus (c. ger.): De zel. et. liv. 420, 17 stare debet instructus animus tam paratus semper ad repugnandum quam est ad inpugnandum semper paratus inimicus.

paratus aut expeditus (c. ger.): De laps. 244, 18 nec ad recedendum parati aut expediti esse potuerunt.

***pertinax*: Epist. 637, 20 nec adeo . . . pertinaces (esse debemus) ad eorum paenitentiam retundendam nec iterum soluti et faciles ad communicationem temere laxandam.

potior: De hab. virg. 199, 8 tu ad vincendam Domini tui vocem vis te esse potiorem?

praeceps[52]) (c. ger.): Ad Demetr. 359, 2 sicarii .tam ad peccandum praecipites quam inpune peccantes.

***robustus*: De laps. 251, 15 quid (Daniele) ad facienda martyria in fidei firmitate robustius, in Dei dignatione felicius?

***simplex*: Ad. Don. 4, 15 accipe non diserta, sed fortia nec ad audientiae popularis inlecebram culto sermone fucata, sed ad divinam indulgentiam praedicandam rudi veritate simplicia.

***solutus*: Epist. 637, 20 soluti et faciles ad communicationem temere laxandam.

c) a substantivis:

***fax et ignis*: Epist. 618, 1 fax et ignis (Novatus) ad conflanda seditionis incendia.

***fraudes*: De laps. 240, 19 ad decipienda corda simplicium callidae fraudes.

***machinae*: Epist. 616, 10 qui (nos) — adversus Novatiani et Novati novas et perniciosas ad inpugnandam Christi ecclesiam machinas — instrueret.

***persecutio*: Epist. 618, 10 qui in ipsa persecutione ad

---

52) cf. Curtius X. 1, 39 praeceps ad repraesentanda supplicia.



evertendas fratrum mentes alia quaedam persecutio nostri fuit.

turbo et tempestas: Epist. 618, 2 turbo et tempestas ad fidei facienda naufragia.

vigor — lenitas: Epist. 608, 11 inspirans — et ad improborum contumaciam frenandam vigorem et ad lapsorum ferendam paenitentiam lenitatem.

2. Praepositione **in** regente unum apud Cyprianum accusativi gerundivi exstat exemplum.

Epist. 661, 11 in adserendum Dei sui honorem plena fide et libertate prorupit.

3. **Circa** cum accusativo gerundivi componitur.

Significat haec praepositio, si cum accusativo gerundivi coniungitur, quasi regionem atque ambitum, ad quem actio pertinet vel in quo versatur. Qui usus primum argentea aetate exstitit [53]) ac praeter praepositiones ad, in (c. ablativo), de, quae superioribus scriptoribus solae erant usitatae, invaluit. Cyprianus quinque praebet exempla [54]), quibus unum ex Firmiliani epistula accedit.

vice fungi: Epist. 510, 15 vice mea fungamini circa gerenda ea, quae . . .

precibus insistere: ib. 597, 5 circa Domini misericordiam exorandam . . . precibus insistere.

recte sentire: ib. 538, 6 recte sensisti circa impertiendam — pacem.

servare praecepta: Ad Fortun. 326, 6 circa Deum colendum et idola spernenda (haec praecepta) servata sunt.

immodestus: Epist. 543, 10 sq. circa invidiam verecundiae nostrae relinquendam facilitate sua immodestus.

---

[53]) Citat Dräger (II. 852) singula exempla ex Quintiliano IV. 5, 6 ‚plus eloquentia circa movendum valet,' et Floro III. 5, 6 ‚circa apprehendendum eum multitudo contendit.' — Adde Quint. IV. 1, 9 ‚circa occultandam eloquentiam simulatio.' Tac. Dial. c. 28 ‚disciplina maiorum circa educandos liberos.'

[54]) Praeterea autem similem eius praepositionis usum habet frequentem. cf. Hartelii indicem s. v. ‚circa;' — cf. etiam Gölzer l. l. p. 332. — Kaulen l. l. p. 203.

diversitates sunt: Epist. (Firmiliani) 813, 22 circa celebrandos dies Paschae . . . esse diversitates.

In eadem Firmiliani epistula (827, 4) legitur semel

4. *propter* cum accusativo gerundivi coniunctum: non pudet Stephanum propter haereticos adserendos fraternitatem scindere.

Plenam rettuli quantum potui exemplorum molem, quo melius Cypriani proprium dicendi genus intellegeretur. Eminet enim is — ut praepositionem circa omittam — participii futuri passivi a praepositione ad pendentis usu et valde frequenti et plus uno nomine peculiari. Nam primum, quae eius usus variae species apud Drägerum Kühnerum alios enumerantur, ea apud Cyprianum omnes inveniuntur. Ad verborum genera supra enumerata nescio an nullum aliud adici possit[55]). Adiectiva certe et substantiva, quae ope particulae ad cum participiis futuri passivi coniunguntur, multo plura apud solum Cyprianum leguntur, quam ex universa aetate tum aurea tum argentea a Drägero (II. 854) composita numeres[56]). Neque ulla ex iis praeter adiectiva ,facilis,' ,idoneus,' ,paratus,' ,potior,' apud Cyprianum recurrunt. Idem de substantivis valet, quorum quamvis similia passim inveniantur, ipsa tamen nisi in Cypriani libellis non repperi. Deinde vero quod Dräger (II. p. 852) statuit pro lege universali: ,Die Präposition ad mit dem Gerundium, selten mit dem Gerundiv, findet sich seit der classischen Zeit zuweilen da, wo man nach dem herrschenden Sprachgebrauch eine andere Rection erwartet' id quatenus rarius in gerundivum quam in gerundium cadere ait, ratum non est; contrarium enim non solum e Cypriano sed etiam ex aliis scriptoribus, v. gr. Curtio, Seneca patre

---

[55]) Grammatici verba illa ac ne relativa quidem distinguere non solent; sed eo vereor ne quadamtenus muneri suo desint. Nam ut in genetivo, dativo, ita hic quoque ex illorum verborum vel nominum natura ipsius gerundii et gerundivi vis ac notio optime cognoscitur.

[56]) Ceterum Drägerianae tabulae cum multis in rebus tum hoc capite inchoatae sunt parumque plenae. Non pauca habeo, quae addere possim ex Seneca patre, Velleio, Curtio collecta exempla.

efficitur [57]). Cyprianus quidem cum in plus centum exemplis ad cum gerundivo adhibuerit, quattuordecim praebet eiusdem structurae gerundia. Quod mirum non est. Constructio enim gerundii vel gerundivi in locum integrae plerumque, sc. finalis sententiae, succedit. Atqui huius verbum cum transitivum idemque cum obiecto coniunctum est, qua quidem re nihil accidit frequentius, in gerundivum debet converti. Neque enim gerundium cum obiecto a praepositione ad suspendi solebat. At ab hoc ipso more bis in Cypriani epistulis, semel ab ipso, semel a Firmiliano (Epist. LXXV.) discessum est. Cypriani exemplum est hoc:

Epist. V, 2 (ap. Hart. p. 479, 8) ‚nam etsi fratres pro dilectione sua cupidi sunt ad conveniendum et visitandum confessores bonos quos illustravit iam gloriosis initiis divina dignatio, tamen caute hoc — puto esse faciendum.' — Qui locus tanto maiorem excitat admirationem, quod Cyprianus, quem ceteroqui nihil aegrius quam obiectum ad gerundium admittere vidimus, inter paucissimas eas sententias, ubi ad cum gerundio composuit, hoc prodidit exemplum, cuius similia usque ad ipsius aetatem paucissima inveniantur [58]).

---

[57]) Senecae patri, Velleio, Curtio id commune est, ut accusativum gerundii admodum raro: Seneca novies, Velleius quater, Curtius duodecies, usurpaverint. Magis de Tacito, quod Dräger affirmat, videtur verum esse. cf. Iörling. Üb. d. Gebr. d. Gerundiums u. Gerundivums bei Tacitus (Gnesen 1879) p. 15.

[58]) Ex scriptis Varronianis iam Krause l. l. p. 41 unum attulerat: r. r. IV. 42 si analogia rerum dissimilitudines adsumat ad discernendum vocis figuras. Huic loco Heidrich (l. l. p. 19) addidit alterum: r. r. I. 23, 6 quaedam loca eadem, alia ad serendum idonea. Tertium ex antiquiore tempore quod ferunt exemplum est Planci in Cic. ep. fam. X. 23, 3 ‚ut spatium ad colligendum se homines haberent.' At id nescio an melius ad earum similitudinem sententiarum explicetur, quibus genetivus *sui* licet ad nomen plurale vel femininum referatur, tamen cum genetivo gerundivi masculini singularis componitur. — Praeter haec nulla alia prioribus quidem temporibus exempla eius constructionis reperio, quae inde a Cypriani aetate praesertim in scriptis e Graeco versis iam rara non sunt. cf. v. gr. litterarum sacrarum versio-

At libri consentiunt neque est, cur de loci integritate dubitetur. Ad eum explicandum autem non multum iuverit, si a Cypriano ita cautum esse dixeris, ne accusativi clausula -os nimis saepe repeteretur. Etiamsi enim is summa cura et arte efficere soleat, ut quaecumque scripsit, numerorum modulatione sonorumque varietate suavissime cadant in aures, interdum tamen similes propinquarum vocum exitus admisit. cf. p. 527, 24 ad corroborandos et confortandos eos noster sermo penetravit. p. 4, 15 ad divinam indulgentiam praedicandam. p. 612, 12 ad gerendum proelium et adversarium subigendum. Sed potius ex proposito huius epistulae res dirimenda erit. Cyprianus enim postquam in prima parte monuit, ut sumptus suggererent illis, ,qui gloriosa voce Dominum confessi in carcere essent constituti,' altera iam, quemadmodum ea cura agenda sit, exponit, atque ,peto,' inquit, ,ut ad procurandam quietem sollertia et sollicitudo non desit.' Itaque cum pergit dicens: ,Nam etsi fratres pro dilectione sua cupidi sunt ad conveniendum et visitandum confessores,' sententiae vim primariam in verbis, sc. gerundiis, ponit eaque ita et cogitatione et collocatione praevertit, quasi ea sola et absoluta dicturus sit, tum vero quasi se colligens obiectum quoque subiungit atque sententia relativa adiecta amplius ornat et describit. Profecto nervosius simul et clarius id quod voluit aliter dicere potuisse mihi quidem non videtur. Neuter enim verborum ordo neque si dixisset: ,ad conveniendos et visitandos confessores bonos quos . . .' neque si ,ad confessores bonos quos inlustravit iam gloriosis initiis divina dignatio, conveniendos et visitandos . . .' ad id quod eminere oportuit efferendum aptus erat. Ergo a perspicuitatis ac gravitatis studio obiectum quod hoc loco gerundio subiungitur profectum est. — Ad aliud genus pertinet alter locus ex epistula LXXV., quae Firmiliani est, petitus p. 822, 18 sq.:

nem vulgatam, ut Luc. V. 17 et virtus Domini erat ad sanandum eos (= *καὶ δύναμις κυρίου ἦν εἰς τὸ ἰᾶσθαι αὐτούς*). Etiam magis insolentia vide ap. Hagen, Sprachl. Erörterungen z. Vulgata (Freiburg, 1863) p. 21. et Kaulen, Handbuch z. Vulgata p. 231.

‚Quod autem pertineat ad consuetudinem refutandum, quam videantur opponere veritati, quis tam vanus sit, ut veritati consuetudinem praeferat . . .?‘ Cum epistula Firmiliani nisi intra unam, sc. secundam codicum classem, in ea autem nisi uno traditionis rivulo non contineatur[59]), in constituenda lectione primum atque adeo unicum subsidium sunt codices Monacensis (M) 208 saec. IX. et Pithoeanus (Q) sive Trecensis 581 saec. VIII—IX[60]). Iam horum uterque hoc loco habet ‚ad consuetudinem refutandum‘ solaque eorum apographa, ut cod. E, formam femininam praebent.

Atque standum est a libris (M) et (Q), gerundium autem cum obiecto coniunctum non dubito, quin e Graeco, unde epistulam ad verbum expressam esse constat[61]), originem duxerit. Fac enim ab ipso Firmiliano scriptum fuisse *Ὅσον δὲ πρὸς τὸ τὴν συνήθειαν ἐξελέγχειν κτλ.*, iam intelleges, cur is qui epistulam vertit, ad cum gerundio (*πρὸς τὸ — ἐξελέγχειν*) posuerit ab eoque obiectum, sc. consuetudinem, suspenderit. Itaque Graecismum ex eodem genere, de quo non multo ante in adnotatione 58 p. 93 sq. mentionem feci, hoc loco statuamus necesse est.

Attamen etiam alteram ex iis, quae initio eiusdem adnotationis attuli exemplis, colligere licet causam, quae et ad hunc et ad Cypriani locum expediendum nonnihil conferat: videtur nimirum constructio haec singularis in vulgari linguae Latinae sermone viguisse, unde facilius in litteris quoque, si facto opus visum esset, adhiberetur. Haec igitur de duobus his locis dicta sint.

Iamvero Hartel alium praeterea locum, qui eundem usum prae se ferat, tum in indice s. v. ‚ad‘[62]) tum in textu constituit, scilicet alterum ex eadem Firmiliani epi-

---

59) Vide Hartelium t. III. praef. p. XXX. sq., p. XL. sq. cum nota***. —

60) Qui ubi in aliqua lectione conveniunt uno signo Q (sine parenthesi posito) ab Hartelio comprehenduntur. cf. ib. p. XXXV. sqq.

61) cf. Hartel. in editionis 1. praef. p. XL. not.***, ubi alia complura, quae in illa epistula insolenter sunt dicta, ex eo fonte explicantur.

62) Ibidem ipsius Cypriani locum (479, 8) non commemorat.

stula p. 820, 17 ‚manifeste instruimur ad ecclesiae unitatem perspiciendum.' Ita ille. At cum in libris omnibus perspiciendam exstet, ac ne Graeci archetypi quidem ratio tam manifesta sit quam in priore exemplo, cum praeterea aliis eiusdem epistulae locis gerundiva a praepositione ad pendentia quae sine dubio genuina sint legantur (p. 812, 14. 23; 816, 15; cf. 813, 22; 827, 4), librorum memoria, licet non omni ex parte firma sit, quam coniectura, speciosa ea quidem sed non necessaria, niti malim. Quare gerundivum in textu reponendum esse iudico.

Restat ut verborum in hac gerundivi structura collocationem similem atque in superioribus casibus adhiberi addam. Gerundivum enim substantivum suum plerumque praecedit, excipiuntur autem ad triginta loci, ubi gerundivum subsequitur, atque sex sententiae compositae, in quibus cum chiasmo ambae collocationes iunguntur. Confer sis p. 608, 11; 618, 13; 621, 12; 696, 16; 822, 11 sq., 628, 19 quos locos supra perscripsimus.

Atque his quidem accusativum absolvimus; reliquum est, ut de ablativo dicamus.

§ 4. Gerundii et gerundivi ablativo quemadmodum Plautus et Cyprianus usi sint disseritur.

Cum ablativi vis ac potestas, quam quidem in nominibus observamus, naturae participii futuri passivi vehementissime adversari videatur — quid enim cum necessitatis, consilii futurive notione minus quam causae originis, separationis significatio posse componi videtur? — mirum sane est, quod hae partes tam lato ambitu pateant, ut ablativo gerundii ac gerundivi et nudo et ex praepositionibus apto in lingua Latina nihil sit frequentius. Hinc gravissima oritur controversia illa, adhuc inter grammaticos non composita, utrum necessitatis participium primariam suam propriamque vim etiam per hunc casum servaverit omniaque exempla sub ablativum modi vel ut accuratius loquar adverbialem, quo et instrumentalis et

modalis comprehendantur, cogenda sint, an abiecta actionis futurae significatione soliusque actionis imperfectae vi relicta quasi participium praesentis passivi quoddam variis iam ablativi muneribus etiam iis, quae a gerundii vi prorsus aliena sint, fungatur. Illud recentissime Weisweiler in opusculo a me identidem laudato p. 132 sqq. defendit, etsi necessitatis vel futuri vim infirmatam esse concedit. Hoc cum alii tum Ott in libello, qui inscribitur ‚Zur Lehre vom Ablativus Gerundii' (Stuttgart. 1877), statuit.

Nos ut in superioribus quaestionibus ita in hac re diiudicanda exemplorum testimoniis nitemur. Ac Plautus, a quo ordiendum est, Weisweileri sententiae ex parte quidem videtur favere.

A.

Plautus ablativum gerundii et gerundivi tum immediate a verbo tum a praepositionibus aptum usurpat.

1. Ablativus nudus, quo Plautus saepissime utitur, in ‚casus adverbialis' genere versatur, itaque aut instrumentalis quod longe frequentissime usu venit aut modalis est.

Exempla, quae paucis (septem) exceptis gerundia sunt, ita oculis subiciam, ut ab instrumentali notione proficiscar, desinam modali.

a) Exempla, in quibus instrumentalis vis clarissime elucet:

Amph. I. 1, 258 (413) Et legiones Teleboarum *vi pugnando* cepimus. cf. Asin. III. 2, 9 (555). Men. V. 8, 5 (1054). Mil. II. 2, 112 (267).

Asin. I. 3, 69 sq. (222 sq.) Bene *salutando* consuescunt (werden kirre), *conpellando* blanditer, *Osculando* . . .

Bacch. III. 3, 24 sq. (428 sq.) Ibi equo, cursu, *luctando*, hasta, disco, pugilatu, pila, *Saliendo* sese exercebant magis quam scorto aut saviis.

Capt. III. 2, 3 (503) Ita me miserum *restitando retinendo* assum reddiderunt.

ib. IV. 2, 52 (832) aperite hasce ambas fores, Priusquam *pultando* foribus exitium adfero. cf. Most. II. 2, 23. 25 (453. 456).

Curc. I. 3, 31 (187) Pariter hosce perire *amando* video.

ib. I. 3, 59 (215) et *vapulando* et *somno* pereo. cf. Merc. II. 2. 41 (312).

Men. prol. 39. et Rud. II. 3, 31 (361) periit *potando*.

Curc. II. 2, 22 (508) Vos (tarpezitae) faenore homines, hi (lenones) *male suadendo* et lustris lacerant.

Epid. II. 2, 16 (200) *Rogitando* sum raucus factus.

ib. III. 1, 1 (320) *Expectando* exedor miser.

Poen. III. 5, 33 (778) *negando* . . . ravio.

Mil. IV. 2, 31 (1022) *stando* excrucior.

Epid. III. 3, 49 (432) Sed quis illic est, . . . Suam qui undantem chlamydem *quassando* facit.

Merc. I. 2, 40 (151) Experii, qui me rupi causa *currendo* tua.

ib. 105 (218) Sed quid ego hic diem *lamentando* perdo, ad navem non eo?

Most. IV. 3, 23 (1015) qui istoc te speras modo Potesse *dissimulando* infectum hoc reddere.

Pers. I. 2, 4 (56) nunquam quisquam meorum maiorum fuit, Quin *parasitando* paverint ventris suos.

Rud. IV. 3, 78 (1017) Non probare *pernegando* mihi potes.

Trin. IV. 3, 41 (1048) Male fidem *servando* illos quoque abrogant etiam fidem Qui nil meriti.

Adde gerundiva haec:

Cas. I. 1, 36 (124) Ita te *aggerunda* curvum *aqua* faciam probe.

ib. IV. 3, 10 (809 sq.) dirumpi *cantando hymenaeo* licet.

Epid. III. 3, 52 (446) *pugnis memorandis meis* Eradicabam hominum aureis, quando occeperam.

Pers. I. 1, 5 (5) Fio miser *quaerendo argento mutuo.*

Pseud. IV. 4, 8 (1045) Mihi cor retunsumst *oppugnando pectore.*

b) Digna quae seorsum commemorentur, sunt tum verba fatigandi tum verba vi comparativa praedita, a quibus ablativus instrumenti pendet:

Amph. IV. 1, 6 (1014) sum *defessus quaeritando.* cf. Stich. II. 1, 41 (313) defessus sum *pultando.*

Poen. I. 2, 14 (224) *aggerundaque aqua* sunt viri duo *defessi.*

In hoc genere adiectivum quoque est *lassus*, de quo dubitare possis, utrum ablativum potius causae an instrumenti dicas; sed praestat hoc alterum.

Truc. IV. 2, 18 (731) Thetis quoque etiam *lamentando* lassa — fecit filium [63]).

Asin. V. 2, 23 (873): Ille *opere* foris *faciundo* lassus noctu ad me advenit.

Multo etiam propius ad ablativum causae accedunt quae leguntur

Men. V. 4, 1 (822) Lumbi *sedendo*, oculi *spectando dolent.*

Ea etiamsi recte ad ablativum causae referri possint, reliquis tamen tam similia sunt, ut melius ad casum adverbialem, si paulo latius intellegatur, adnumerentur. cf. Ott l. l. p. 30.

Vis comparativa verbis vincendi et superandi inest, quibus ablativus gerundii adiunctus id, quo quis alium vincit, praedicat:

Bacch. III. 2, 18 (402) Cave sis te desuperare servom sieris *faciundo* bene.

ib. IV. 16 (514) Mendicum malim *mendicando* vincere.

Epid. II. 2, 9 (177) Licitumst tibi eam vincere *vivendo.*

fr. Frivol. VII. (fr. fab. cert. 48) [ap. Non. s. v. praefica]: Superaboque omnis *argutando praeficas.*

Immerito Ott l. l. p. 34 et ante eum iam Weissenborn l. l. p. 129 adn. 257 his exemplis ablativum respectus contineri statuerunt.

c) Ad ablativum modi, quo respondetur, si quo modo quid factum sit quaeras, haec exempla plus minus vergere videntur:

Amph. II. 1, 41 (588) quae neque fieri Possunt neque *fando* umquam accepit quisquam, profers.

---

63) Locus non est omnino certus; confer quae ad eum versum disputat Schöll, quem secutus sum.

Epid. III. 4, 60 (496) *fando* ego istuc nomen numquam audivi ante hunc diem.

Rud. I. 3, 2 (186) qui sciunt *experiundo*.

Asin. III. 3, 97 (687) *amandone* exorarier vis ted an *auscultando*?

ib. V. 2, 53 (897) Redierit hodie, *auscultando* ego ulciscar potissimum.

Duo relinquuntur loci, in quibus notio modalis manifesta atque evidens est: Truc. V. 2, 4 (916) ,cubando in lecto hic *exspectando* obdurui' et Men. V. 4, 1 sq. (882 sq.) ,Lumbi sedendo, oculi spectando dolent, *Manendo medicum* dum se ex opere recipiat.'

In priore exemplo ablativus ,cubando' instrumentalis, alter ,exspectando' modalis est. Similiter in altero exemplo ultimus ablativus ,manendo medicum' modalis est. (De duobus prioribus vide supra sub litt. a). Quodsi Kühner (II. p. 561 § 135 b) hunc locum respiciens notat: ,Zuweilen lässt sich das Ger. durch *indem* übersetzen wie das Part. Praes.,' id ille quidem verum dicit, neque tamen inde concludi licet nihil sive participium praesens sive ablativus gerundii ponatur interesse. In ablativo enim gerundii eminet modalis vel adverbialis notio, quae ipsa forma inculcatur, temporis autem ratio recedit atque latet, contra in participio praesentis praecellit tempus, vis autem modalis quasi adventicia est. — Atque vere hunc ablativum adverbialem appellari inde etiam confirmari videtur, quod apud Plautum neque in gerundivo saepe legitur neque cum obiecto nisi duobus locis (Men. 883 ,manendo medicum' et Trin. 1048 ,male fidem servando') reperitur [64]).

---

[64]) Hunc alterum locum Krause p. 49 praetermittit, offert autem Cas. 677 (= 809) ap. Schöll) ,dirumpi cantando hymenaeum licet', quae in codice B aliisque leguntur libris. At sequendus est Ambrosianus qui ablativum ,hymenaeo' praebet. — Dräger, qui solo Holtzio nititur, Krausio usus non est, errat, cum p. 847 accusativum obiecti praeter Naev. Apell. fr. 1 et Ter. Eun. 1008 prisca aetate inveniri negat. Krause unum ex Pacuv. 315, quinque ex Terentio, quattuor ex Lucretio alia praeterea profert exempla.

Hactenus igitur cum Weisweilero consentio. At vero futuri significatio, quam is huic participio propriam esse ac necessariam ait, quo tandem abiit? Nam inter exempla allata — in medio autem posui, quaecumque repperi — prorsus nullum est, in quo futuri vel necessitatis vis appareat. Quid igitur dicemus? Non profecto nos illud, quod ii qui cum Weissenbornio faciebant, hinc intulerunt: Ergo ne in reliquis quidem casibus eam notionem ipsi gerundio inesse, verum extrinsecus advenisse colligemus. Sed mediam inter utrosque viam tenendam esse Plautino usu monemur. Ex magno enim exemplorum numero, quae quidem fere omnia gerundia sunt, quam late is casus iam tum atque maxime in lingua vulgari diffundi coeperit, elucet. Ergo certe is usus antiquitus vigebat, immo eo tempore, quo gerundivi suffixum -ndo- a significatione praesentis, quocum forma certe cohaeret, nondum divisum erat, exstitisse existimandus est. An vero tunc illae formae, de quarum vi praesenti nemo dubitat, oriundus, secundus, labundus ortae sunt, hic ablativus exsistere non potuit? Quod cum ita fuisse sumpserimus, facile cur gerundium in ablativo notionem futuri non habeat, explicamus. Eam enim non amisit, sed nunquam accepit. Nam obstabat ipsius casus ablativi natura, quominus gerundii usus adverbialis reliquas eius partes, cum ad futuri et necessitatis significationem transirent, sequeretur. Ex altera vero parte si futuri notio gerundio, antequam ad ablativum trahebatur, iam inerat et vi quasi expellenda erat, qui fieri potuerit, ut hic usus adverbialis iam pridem quam latissime pateret, equidem non video. Ergo quod de adiectivis illis oriundus, secundus omnes concedunt, idem in hoc casu accidisse dicemus, ut praesentis notio retineretur. Ceterum sive propter similitudinem ablativi sive aliis ex causis idem interdum in genetivo, maxime appositivo vel definitivo quem vocant, idem alibi praepositionibus ut *inter*, *in* (c. abl.), *ex* accedentibus locum habere nemo est, qui nesciat. Aliquot eius rei exempla statim videbimus.

2. Ablativus gerundii et gerundivi a praepositionibus, quae sunt in, de, ex, pro, pendet.

a) *in* praepositione regente inveniuntur novem exempla, partim gerundiva, partim gerundia.

α) Gerundiva: Amph. II. 2, 1 (633) Satin parva res est voluptatum in vita atque in *aetate agunda*, Praequam quod molestum est?

Curc. II. 2, 17 (267) auxilio tibi qui *in iure iurando* fuit.

(Amph. prol. 1 sqq. ut vos in vostris voltis mercimoniis *Emundis vendundisque* me laetum *lucris* Adficere.)

β) Gerundia: Asin. IV. 1, 50 (795) nec sic tussiat, Ut quoquam linguam *in tussiendo* proserat.

Bacch. I. 1, 3 (37) metuo mihi *in monendo* ne defuerit memoria.

Cas. II. 6, 47 (399) *in sortiendo* — sors delicuerit.

Stich. I. 1, 54 (55) *in cogitando* maerore augear.

Trin. II. 1, 2 (224) *in cogitando* dolorem indipiscor.

ib. II. 4, 131 (532) si *in opserendo* possint interfieri (sc. mores mali).

b) Subiungenda sunt singula exempla, ubi praepositiones *de* et *ex*; duo, ubi *pro* praepositio cum ablativo gerundii conectuntur.

Bacch. II. 2, 45 (223) qui *de amittenda Bacchide* aurum hic exigit (‚deswegen, dass er verlieren soll').

Capt. III. 2, 4 (504) vix *ex gratulando* miser iam eminebam.

Pers. III. 3, 21 (426) Leno te argentum poscit — *Pro liberanda amica.*

Aul. III. 3, 8 (456) Heus, senex, *pro vapulando* hercle ego abs te mercedem peto.

De his antequam, quid universe iudicandum sit, disputem, Cyprianus conferatur oportet.

B.

Cyprianus quam varie ablativo gerundii et gerundivi usus sit docetur.

1. Ablativus immediate a verbis pendens apud Cyprianum quoque aut instrumentalis aut modalis est.

a) Instrumentalem in his agnosco exemplis:

α) Gerundia: De dom. or. 283, 18 ne quis se *extollendo* plus pereat.

Ad Demetr. 351, 4 *loquendo* dementis insaniam provocare.

ib. 357, 20 quasi aliquid boni male *vivendo* mercamini.

De bon. pat. 402, 3 incredulos ad fidem *suadendo* flectere.

Epist. 551, 5 cum praesentiam suam . . . *mandando* fecissent [65].

ib. 669, 24 *loquendo* detegitur (homo vere christianus).

ib. 559, 16 (Christum) *moriendo* mortem subegisse.

cf. ib. 782, 8 qui mortem *moriendo* vicerit [66].

β) Gerundiva:

De laps. 250, 13 et quemquam posse aliquis existimat *remittendis passim domandisque peccatis* bonum fieri contra iudicem velle?

Ad ablativum instrumenti revocari etiam debent duo exempla, quibus ablativus pendet ab adiectivo *dignus*:

De hab. virg. 202, 4 sint oculi conspiciendo Deo digni.

Epist. 480, 11 qui (oculi) despecto saeculo conspiciendo Deo digni exstiterunt [67].

cf. Liv. VI. 11, 11 possidendis publicis agris contentos esse. idem III. 17, 2 tam felix vobis corrumpendis fuit. Ambros. off. 3, 19. 116 indignos se impetrando exhibuere matrimonio (ap. Ottium l. l. p. 37).

b) Modalis in reliquis omnibus sententiis agnoscendus est; in quo et ipso gerundia numero praevalent, sed hic quam frequenter accusativus obiecti addatur velim attendatur.

---

[65]) Opponuntur iis, qui ipsi venerant; cf. 633, 21 ad magistratum vel veni vel alio eunte mandavi.

[66]) Duos hos locos sub ablativo instrumentali collocandos putavi, ut et sacrorum librorum et ss. Patrum loquendi sentiendique morem sequerer, a quibus Christi sanguis pretium salutis, mors instrumentum triumphi declarantur.

[67]) Proprie sic vertemus: ‚ausgezeichnet dadurch, dass sie Gott schauen, betrachten sollen (oder dürfen).' cf. Kühner II. 292, 15. — Dignus cum infinitivo ab ipso Cypriano semel coniungitur: Epist. 642, 1 nec dignus est in morte accipere solacium. Reliqui loci, quos vide ap. Hartel. in indice, aliorum scriptorum sunt. cf. etiam Kaulen l. l. p. 234.

α) Gerundia: Q. idol. dii n. s. 29, 4 non *intellegendo* (Iudaei) primum adventum unum tantum credunt. — Hoc ablativo licet simul causa indicari videatur, multo tamen magis ex mente scriptoris modus, qui fiat ut Iudaei unum adventum credant, declaratur. Par est ratio in eo quod sequitur exemplo, quod etiamsi concessivum intellegi possit, verius tamen modale dicatur: De cath. eccl. un. 211, 4 nutet necesse est et vagetur — nec *ambulando proficiet* ad salutem qui salutaris viae non tenet veritatem.
ib. 227, 15 multos secum *trahendo decepit.*

Qualis in hoc exemplo conspicitur ablativus modi, omnium apud Cyprianum frequentissimus est, scilicet is, quo quae verbo finito, eadem gerundio actio significetur, discrimen autem in eo situm est, ut verbo finito res quasi ad genus quoddam efferatur, gerundio peculiaris agendi ratio describatur. Itaque is qui schisma facere conatus est, multos eo ipso decepit, quod secum traxit, vel deceptio in eo erat, ut secum traheret. Atque simile quid in iis, quae sequuntur, animadvertetur.
De laps. 257, 2 fecisse se dixit, quidquid alius faciendo commisit. — Ablativus hic dicitur significanter = ‚dadurch dass er wirklich die That begieng.‘ Opponitur enim duplex committendi peccati ratio, ut vel ipse per se quis faciat rem, vel acceptis libellis alienum peccatum suum faciat, cum se fecisse dicat quidquid alius faciendo commisit. — ib. 258, 9 minus plane peccaverit ***non videndo*** idola ***nec*** sub oculis . . . populi sanctitatem fidei ***profanando non polluendo*** manus suas funestis sacrificiis nec sceleratis cibis ora ***maculando.*** — Praeclarum hic habes eius rei quam ante dixi documentum. Scriptor enim universale illud quod dixit ‚minus — peccaverit,‘ per singulares res rationesque, in quibus peccati diminutio consistat, persequitur. Eodem spectant quae leguntur Ad Demetr. 370, 16 sq. hoc munus misericordiae suae tribuit (Christus) ***subigendo mortem*** trophaeo crucis ***redimendo credentem*** pretio sui sanguinis ***reconciliando hominem*** Deo patri — ***vivificando mortalem*** regeneratione caelesti.

Anaphora usus ille per quattuor membra modum ,iustificationis,' quam theologi dicunt, describit.

Huic non dissimile est illud: De dom. or. 279, 15 quam (sc. voluntatem Dei) Christus *hominem conservando et redintegrando* perfecit. — Adde praeterea

De bon. pat. 411, 10 nec unquam ab eadem impatientia destitit (Iudaicus populus), quominus *prophetas suos et iustos quosque perimendo* ad crucem quoque et ad sanguinem Domini prosiliret.

De zel. et liv. 422, 15 nec longum faciam *singulos recensendo.*

Sent. episc. 440, 21 ab ecclesia — *recedendo* infatuati contrarii facti sunt.

Epist. 475, 20 consulto et cum vigore fecisti . . . *abstinendo diaconum.*

ib. 616, 8 et cum diligentia et cum dilectione fecisti, f. c., festinando ad nos *mittendo Niceforum acoluthum* [68]).

ib. 554, 20 quem *negando* mortis metu fidei dimiserant clipeum resumant.

ib. 568, 14 qui *communicando* cum lapsis et *offerendo oblationes* eorum — in praesumptione — perstiterunt.

ib. 573 *cohortando* ad paenitentiam viam salutis ostendis.

ib. 574, 5 ne cruciatus dolore superati *perdendo pacem* perdant salutem.

ib. 581, 20 beneficia divina, quibus ecclesiam suam dominus illustrare — dignatus est *commeatum dando* bonis confessoribus suis.

ib. 594, 12 *pestem fugiendo* vitate.

ib. 723, 15 qui idolis *sacrificando* sacrilega sacrificia fecerunt.

ib. 798, 4 qui cedendo ac *manus dando* ius quod acceperas reliquisti.

---

[68]) In his similibusque sententiis etiamsi pro gerundio cum coincidens quod dicitur (,cum dilectione fecisti, cum misisti') usurpari posset, id tamen gerundii vim non haberet; quae ut adaequetur, sic erit dicendum: ,cum diligentia et cum dilectione fecisti, ut ad nos mitteres Niceforum acol.' Sic enim notio modalis describitur.

ib. 807. 19 ille melius docet qui cottidie crescit et proficit *discendo meliora.*

ib. 813, 18 sq. (Firmiliani) *se ipse participem talibus faciendo* condemnat.

ib. 828, 24 fratrum mentes ad divina martyria provocatis *duces vos exhibendo* virtutibus.

Denique a Cypriano ne eae quidem ablativi gerundii formulae repudiantur, quae de verbis dicendi formatae ad verbum finitum, quod et ipsum verbum dicendi est, adhibentur, quo verba alicuius allegentur; quarum formularum loco apud classicos scriptores participium praesens ,dicens' vel sententia temporalis ,cum diceret' similia in usu erant.

Exempla sunt haec: Epist. 550, 10 nec tantas de nobis laudes apostolus *protulit dicendo*: ,quia fides vestra . . .' ib. 559, 24 nos *excitat Dominus dicendo*: ,qui plus diligit patrem . . .' —

Oratione autem obliqua sententia aliena affertur Epist. 756, 3 *addendo* autem et civitatem Samaritanorum debere omitti, — ostendit schismaticos gentilibus adaequari. cf. Ott l. l. p. 33. Krebs—Schmalz Antibarbarus p. 397. — Ex iis quae Rönsch l. l. p. 432 sq. affert exemplis efficitur, ut is quem hic tractamus ablativi gerundii usus in vulgari illius aetatis sermone sollemnis fuisse putandus sit. Unum afferam ex Itala sacrorum librorum versione exemplum, quo ipse usus est Cyprianus (Ad Fortun. c. 7. p. 328, 13), Exod. 14, 11 quid hoc nobis fecisti eiciendo [= ἐξαγαγών] nos de Aegypto. Quodsi causas quaeramus, cur potius ablativo gerundii quam participio praesentis uti voluerint, hae mihi maxime probantur, tum quod fortius gerundii casu adverbiali quam participio praesentis res atque actionis modus efferebantur; tum quod multo facilius forma ablativa, quae semper eadem esset, ad quamvis sententiam adhibebatur [69]).

β) Perpauca inveniuntur gerundiva:

Q. id. dii n. s. 20, 6 dies festos *dando honore* celebrabant.

---

